A aliquos velociùs agitantes inſpiciet, & viribus equi non deficient, dum viciſſim quies eis concedetur, *cap. 9.*

Quum autem in Hippodromo ſpectaculum edendum erit, pulchrum ſanè, ſic eos primùm inſtrui, ut à fronte compleatur equis Hippodromus; & è medio qui erunt, illic homines exigantur. Pulchrum & hoc, ſi dum tribus in adverſo provectione ſe mutuò fugiunt, & celeriter inſequuntur, magiſtris equitum tribus quinque ducentibus, ſe mutuò tribus utique perequitent. In hoc enim ſpectaculo terribile quiddam eſt, quod adverſis frontibus contra ſe provehantur; & plenum ſplendoris, quòd Hippodromo perequitato, rurſus adverſi contra ſe conſiſtant. Itidem pulchrum, ad alterum tubæ ſignum celeriùs eos contra ſe ferri. Quum verò jam conſtiterint, tertia vice rurſus poſt tubæ clangorem celerrimè provehi contra ſe mutuò debent; & ubi perequitaverint, fine jam ludis imponendo, in phalange cuncti conſtituti, qui vobis mos eſt, ad conſilium equis advehantur. Horum ſpeciem magis exiſtimo bellicoſam, magiſque novam viſum iri. Minimè verò dignum munere magiſtri equitum, ut ipſe tardiùs tribunis invehatur, & eodem modo cum ipſis equitet, *cap. 10.*

B Quum autem in academia, loco pavito, inſtituendæ erunt equitationes, hæc quæ moneam, habeo. Ne ipſi dejiciantur aliquando ex equis, reſupinare ſe inter agitandum debent: ut equi non cadant in reflexionibus, inhibendi & retinendi ſunt. In curſu recto celeriter eos agi oportet. Ita concilium & tutam & pulchram agitationem inſpiciet. In itineribus verò proſpicere ſemper debet equitum magiſter, ut & equorum ſedilibus in dorſo quiete conſulat, & equites pedibus incedentes reficiat: quod equitatione mediocri, & pedeſtri inceſſu mediocri fiet. Quòd ſi curæ tibi mediocritas erit, haud aberrabis. Nam quiſque ſibi motum ſtatuit, ne imprudentes nimio labore graventur, *cap. 11.*

Quum iter facies, & obſcurum eſt, an hoſtibus ſis occurſurus, per vices quiete tribus reficiendæ. Periculoſum enim fuerit, tunc adventare propiùs hoſtes, ubi ex equis omnes deſcenderint. Quòd ſi per anguſtas vias tibi tranſeundum ſit, ita duces, ut aciem in cornu protendi jubeas: ſin latas in vias incidas, rurſum jubebis, tribus uniuſcujuſque frontem dilatari: ubi denique perveneritis in planiciem, tribus omnes in phalangem conſtituendæ. Hæc enim & exercitii cauſa fa- C cere, bonum eſt; atque etiam jucundius, ſic itinera conficere, ut profectionum equeſtrium varietate condiantur. Quum extra vias per loca difficilia provehimini, perquàm utile fuerit, tam in hoſtili, quàm pacata regione, quoſdàm ex apparitoribus cujuſque tribus antecedere; qui ſi fortè in ſaltus invios inciderint, ad pervia tranſeuntes, equitibus indicent, qua equi agendi ſint, ne toti ordines oberrent, *cap. 12.*

Si periculoſum alicubi ſit iter, prudentis erit equitum magiſtri curare, ut ante præmiſſos etiam præmiſſi quidam alii præcedant, qui res hoſtium perquirendo explorent. Etiam utile tam ad invadendum, quàm ad cavendum, ut ubi difficiles ſunt tranſitus, alteri alteros expectent: ne poſtremi, dum itineris ducem inſequuntur, verberibus equos concidant. Ac norunt quidem propemodùm hæc omnes, ſed pauci curæ laborem tolerare volunt. Oportet item, equitum magiſtrum adhuc tempore pacis in hoc incumbere, ut peritus ſit tam hoſtilis, quàm ſuorum regionis: ac ſi nullam earum notitiam ipſe habeat, ex aliis ſibi ſingulorum locorum maximè gnaros adjungat. Magnum enim diſcrimen eſt inter ducem peritum D viarum, & imperitum: ut etiam is, qui hoſtibus inſidias ſtruit locorum peritus, multùm ab imperito differt. Curæ ſint & exploratores ante bellum ſuſceptum, ut haberi poſſint, & ex civitatibus utriſque amicis, & ex mercatoribus. Omnes enim civitates admittere ſemper eos, ut benevolos, ſolent, qui aliquid important. Utiles ſunt nonnunquam & ficti tranſfugæ. Nec tamen ſic exploratoribus fidendum, ut omittatur cautio; ſed ita paratum ſemper eſſe oportet, quaſi ſi jam nuntiatum ſit, hoſtes adventare. Licèt enim valdè fideles ſint exploratores, in eo tamen difficultas eſt, ut aliquid tempore nuncient, quum multa in bello accidere impedimenta ſoleant, *cap. 13.*

Eductiones equitatus minùs hoſtes ſentient, ſi potiùs eæ denuntientur, quàm ſi præconis voce, vel per edictum imperentur. Ad hoc igitur, ut eductiones denuntiando fiant, bonum erit conſtituere decuriones, & cum decurionibus quinionum quoque duces: tum ut pauciſſimis unuſquiſque denuntiet, tum etiam ut duces hi quinionum ſuo tempore procedentes, abſque perturbatione frontem aciei exporrigant. Ubi præcavendum eſt, equidem occultas ſemper & ſpeculationes & excubias laudo: Sic enim & excubiæ ſimul pro amicis habentur, & hoſtibus ſimul inſidiæ ſtruuntur. E Minùs etiam ſpeculatores ipſi, quum nihil de eis conſtat, inſidiis hoſtium expoſiti ſunt; & hoſtibus hoc modo ſunt formidabiliores. Nam ſcire, quaſdam eſſe collocatas alicubi excubias; ſed ubi ſint, & quo numero, neſcire, id verò fidentibus hoſtes animis eſſe prohibet, & habere ſuſpecta cogit omnia loca: Manifeſtæ verò excubiæ tam periculorum, quàm fiduciæ cauſas apertas habent. Præterea licebit occultas habenti excubias, ut cum paucis manifeſtis ante illos occultos excubans, hoſtes in inſidias pertrahere conetur: nec idoneum minùs venandis hoſtibus, etiam poſt occultos cum aliis manifeſtis nonnunquam excubare. Nam hac quoque ratione non aliter circumveniuntur hoſtes, ac priùs indicata, *cap. 14.*

Prudentis etiam ducis eſt, in periculum ultrò ſe non conjicere, niſi quum manifeſtum eſt, potiorem ipſius, quàm hoſtium, conditionem futuram. At hoſtibus ſuppeditare cauſam voluptatis maximæ, multò juſtiùs eſſe proditio ſociorum, quàm fortitudo, judicabitur. Prudens id quoque facinus, illuc progredi, ubi vires hoſtium debiles ſunt, licèt intervallo magno diſtent. Nam minus eſt in vehementi labore periculi, F quàm ſi prælio cum prioribus decertandum ſit. Quòd ſi medias inter munitiones & caſtella ſuorum penetraverint, hos, licèt longè viribus ſuperiores ſint, pulchrum tamen eos hinc aggredi, quacunque tandem à parte clam hoſtibus adſis; nec minùs honeſtum, id ſimul ab utraque parte fieri. Quum enim alii ſe recipient adequitantes, ab alterutro latere tui, tum perturbabunt hoſtes, tum ſaluti ſuorum conſulent, *c. 15.*

Dictum jam pridem, bonum eſſe, dari operam, ut res hoſtium per exploratores cognoſcantur. Ego verò eſſe omnium optimum exiſtimo, ut aliquis ipſe, ſi de tuto quopiam loco liceat hoſtes alicundè contemplari, num in aliquo peccent, inſpicere conetur. Ac ſi quidem aliquid eis furtim adimi poterit, ad hoc furtim peragendum idonei quidam mittendi; quod autem rapinæ expoſitum, mittendi qui rapiant. Si hoſtibus aliquò proficiſcentibus, pars quædam copiarum hoſtilium debilior à tergo maneat, quàm ipſe ſit, aut ſumpta fiducia palari auſit: ne hoc quidem ignorare debet, ſic tamen, ut manu validiore venetur id, quod eſt debilius. Poteſt autem hæc animadvertere, qui mentem eis adhibet; quandoquidem & beſtiæ, quibus intelligentia minor eſt, quàm homini, puta milvii, ſi quid G incuſtoditum ſit, rapere norunt, & priùs in tuta ſe recipere, quàm capiantur: & lupi, quæ cuſtodia deſtituuntur, venari ſolent, & in obſcuris abdita furantur. Idem lupus, ſi canis inſequens ſuperveniat, viribus inferiorem aggreditur: ſin ille ſuperior ſit, jugulatis iis, quæ nactus eſt, diſcedit. Ubi verò lupi cuſtodiam contemnere auſi fuerint, ordinatis ſuis partim ad abigendos cuſtodes, partim ad rapiēdum, ita neceſſaria ſibi acquirunt. Quum igitur beſtię prudenter in agendis hiſce prędis ſe gerant, quomodo non par fuerit, eum, qui homo ſit, ſapientiorem ſe declarare beſtiis, quæ ipſa capi arte ab homine ſolent? *cap. 16.*

Hoc quoque ſcire vir equeſtris debet, quonam ex intervallo peditem ceperit eques, & quantum ad intervallum equi tardi celeres effugerint. Itidem ad equitum magiſtri munus pertinet ſcire loca, quibus in locis pedites equitibus ſuperiores ſint, ac viciſſim peditibus equites. Etiam ſolerti artificio moliri debet, ut pauci equites, multi eſſe videantur; & multi viciſſim, paucorum ſpeciem habeant: itemque ſi præſens ſit, ut abeſſe videatur; ſi abſit, adeſſe: neque tantùm ut norit hoſtibus ſua furtim præripere, verùm equites etiam ſuos furtim circumveniendo, adoriri hoſtes de improviſò. Egregium & hoc H artificium, ſi poſſit, quum ipſe viribus inferior eſt, metum hoſtibus incutere, ne ſe adoriantur: quum prior ipſe viribus, eorundem animis indere fiduciam, ut aggrediantur. Sic enim & ipſe minimum detrimenti acceperis, & imprimis hoſtes in errores deprehendere poſſis, *c. 17.*

Ne verò, quæ fieri nequeant, præcipere videar: prodam ſanè literis, quomodo & illa fiant, quæ in his difficillima videntur. Itaque ne quis in conatu, vel inſequendi, vel abſcedendi, offendat: ex eo conſequetur, ſi vires equorum perſpectas habeat. Quonam verò modo perſpectas habere poſſit, ſi animum adtentat in adverſis provectionibus, quæ cum benevolentia fiunt, quales & è perſequendo, & fugiendo diſcedant. Quum verò volueris equites multorum habere ſpeciem, unum hoc primum eſto, ſi liceat, ne propè hoſtes fraudem aliquam moliaris: Tutius enim, quod è longinquo fit, & ad fraudem aptius. Deinde ſciendum, equos catervatim incedentes, ſpeciem multorum habere propter ipſius animalis magnitudinem: quum diſperſi, facilè numerari poſſint. Præterea tibi copioſior equitatus adeſſe videbitur, quàm ſit reapsè, ſi curatores equorum inter equites

conti-



A conſtituas, præſertim haſtas, aut haſtis aliquid ſimile tenentes; ſive conſiſtentem alicubi equitatum exhibeas, ſeu traducas: Nam hoc modo neceſſe eſt, aciei molem & majorem, & ſpiſſiorem videri. Sin multos velis haberi pro paucis, ſiquidem ejuſmodi loca tibi ſint ad manum, in quibus occultare liceat; nimirùm in aperto quoſdam exhibens, in obſcuro quoſdam abdens, hac ſubtractione numerum equitum diminues: ſi verò locus ipſe totus oculis expoſitus ſit, ordinatas in unam ſeriem decurias ex intervallo traduces; & equites quidem cujuſque decuriæ, qui hoſtibus antè oculos ſunt, haſtas tenere rectas debent, cæteri depreſſas, & minimè ſupereminentes. Licet etiam terrorem hoſtibus incutere, tum fictas inſidias, tum auxilia ficta, fictoſque rumores excogitando. Tum verò confidentiſſimi ſunt hoſtes, quum adverſariis multa negotia, multas occupationes exhiberi auditum, *c. 18.*

His ita deſcriptis, ipſius jam ducis fuerit id moliri, ut pro re præſenti ſemper aliquam fallaciam ſtruat. Nam reverà nihil adeò fructuoſum in bello, atque fallacia. Quum verò etiam pueri, quoties ludunt, prætextu fallendi faciant quæcumque poſſunt, ut paucos habentes, multos habere videantur: B & multos habere ſe præferentes, ſpeciem paucorum exhibeant: quid vetet, quò minùs etiam viri, ſi fraudibus animum adjiciant, hujuſmodi artificiis uti poſſint? Nam ſi cum animo ſuo meliores in bello conditiones aliquis expendat, is majorem earum partem, & quidem inſigniores, fraude captatas, & partas inveniet. Quapropter vel non capeſſendum imperium, vel ut hoc quoque præſtare poſſit, divinitùs præter alia petendum, & ipſimet in hoc adnitendum. Qui mare vicinum habent, iis ad fraudem hoc quoque commodum, ut dum naves inſtruunt, aliquid terra gerant; ac viciſſim, dum terra inſidias ſe moliri ſimulant, mari rem aggrediantur. Etiam hoc equitum magiſtri eſt, docere civitatem, quam debile quiddam ſit equitatus à peditatu deſtitutus, ut unà cum equis & pedites habeat. Nec minùs ad officium magiſtri equitum pertinet, ut peditibus acceptis uti poſſit. Ac licet pedites non tantùm certis locis, ſed etiam poſt equos occultare: Nam longè grandior eſt eques homine pedeſtri, *c. 19.*

Hæc verò equidem univerſa, & ſi qua moliri aliquis præterea volet in conatu hoſtis, aut vi, aut arte ſuperandi, divina cum ope ſuſcipienda conſulo: ut numine ſibi placato ac propi- C tio, fortunam quoque proſperam prædicare poſſit. Nonnunquam & illud aptiſſimum ad fraudem, ſi nimis ſe cautum quiſpiam ſimulet, aleæque belli tentandæ nequaquam cupidum: Hoc enim hoſtes eò ſæpiùs adigit, ut omiſſo cavendi & excubandi ſtudio, magis delinquant. Si quis ſemel viſus fuerit adeundi periculi cupidus eſſe, poteſt hoſtibus, etiam quieſcendo, dum aliquid ſe facturum ſimulat, negotia faceſſere. Sed enim ex animi ſui arbitrio nihil formare quiſpiam poſſit, ſi non ea, de quibus aliquid fingendum, ita comparata ſint, ut artificis voluntati cedant; nec item ex hominibus abſque Numinis ope ſic aliqui unquam inſtructi erunt, ut amore proſequantur illum, qui eis cum imperio præeſt, niſi eum ſe prudentiorem judicaverint in iis, quæ ad certamina cum hoſtibus ineunda pertinent. Hinc quoque conciliari benevolentiam illorum, qui reguntur, conſentaneum eſt; ſi comiter aliquis eos complectatur, ac proſpicere ſe declaret, ut & victum habeant, & tutò ſe recipiant, & idonea muniti cuſtodia quieſcant. In præſidiis manifeſta debet ejus eſſe cura de pabulo, & tentoriis, & aquis, & excubiis, & aliis rebus neceſſariis; itemque providentia ipſius & vigilantia pro iis, quos regit. Ubi copia D quadam rei alicujus abundat is, qui aliis præeſt, lucroſum erit, id ſuis impertiri. Minimè verò contemnent eum, qui cum imperio eſt, ſi quæcunque, ut paucis rem complectar, ſuos facere juſſerit, ea rectiùs ipſis facere viſus fuerit, *c. 20.*

Quapropter exordiens ab inſcendendis equis, exercere omnia debet ad rem equeſtrem pertinentia: quo præfectum ſuum poſſe videant, in equo & foſſas tutò trajicere, & muros ſuperare, & de tumulis ſe demittere, & idoneè jaculari. Nam hæc omnia nonnullius ad hoc conferunt adjument, ne contemptui ſit. Jam ſi rerum gerendarum peritum eſſe norint, & idoneum ad efficiendum, ut hoſtibus ipſi potiore loco ſint; & animis præterea impreſſerint, eum nec temerè, nec abſque Numinis ope, nec extis adverſantibus in hoſtes ducturum: hæc ſcilicet ejuſmodi ſunt omnia, magis ut morigeros præfecto reddant illos, qui ejus imperio continentur. Ac prudentem ſanè quemvis eſſe convenit, qui cum imperio ſit; at populi Athenienſis equitum magiſtrum longè aliis præſtare, tum cultu deorum immortalium, tum uſu rei militaris oportet; quum ei finitimi ſint adverſarii, tam equites numero pares, quàm pedites ſanè multi. Si agrum hoſtilem ſine reliquæ civitatis auxiliis invadere conetur, E adversùs illos ambos ei ſoli cum equitatu periclitandum erit: Sin hoſtes in Athenienſium regionem irrumpant, primùm aliter non venient, quàm aliis ad ſuos equitibus adjunctis; & cum illis præterea peditum copiis, quibus Athenienſes univerſos impares ad pugnam futuros exiſtiment. Itaque ſi contra tantam hoſtium multitudinem civitas tota prodire velit, ut opem regioni ferat, ſpem bonam concipere licebit: Nam & equites Deo juvante meliores, ſi quis eorum curam convenientem gerat, & pedites numero non inferiores erunt: quorum quidem nec corpora deteriora ſunt, & animi longè laudis avidiores, ſi Deo propitio rectè fuerint exerciti. Majores ſanè quod attinet, non minùs Athenienſes eorum nomine, quàm Bœoti, ſemet efferunt, *c. 21.*

Si verò civitas ad rem navalem ſe converterit, & mœnia tueri ſatis ſibi duxerit, uti tum quoque factum, quum Lacedæmonii, Græcis univerſis ſibi adjunctis, Atticam invaſerunt; equiteſque ſitos extra muros eſſe ſubſidio voluerit, ac ſolos contra copias adverſariorum omnes periclitari: tum verò primùm, mea ſanè ſententia, divino erit opus auxilio firmo, atque ipſum deinde magiſtrum equitum eſſe virum prorsùs abſolutum conveniet: Nam & prudentia magna contra longè plures, & F audacia requiritur, quum occaſionis ſe opportunitas obtulerit. Itidem arbitror, eum laboribus perferendis idoneum eſſe debere: Si enim exercitu tali præſente, cui ne tota quidem civitas ſe putet objiciendam, periclitari velit: nimirùm foret, quidquid illi viribus ſuperiores faciendum ſtatuerint, nullam ad rem peragendam ſatis ipſe idoneus. At verò ſi extra muros ſita tot equitibus cuſtodiat, quot hoſtium rebus ſpeculandis ſufficient, & iis majori ex parte in totum ſubducendis, quibus hoc opus eſt? ſicque non minùs idonei ſunt ad proſpiciendum pauci, quàm plures: ſanè tum ad cuſtodiendum, tum ad ſubducendum in loca pacata non minùs erunt opportuni, qui nec ſeipſis, nec equis ſuis ſatis fidunt; nam metus in cuſtodiendo ſocius acer eſſe videtur. Itaque rectum conſilium capiet, qui de his cuſtodes ac præſidiarios efficiet: Eos verò, qui conſtituta jam cuſtodia ſuperfuerint, ſi quis ut exercitum habere ſe duxerit, ſanè perexiguus hic ei videbitur: Nam in univerſum erit inferior ad pugnæ periculum, aperto marte ſubeundum. Sin eis ut prædonibus utatur, ſatis ſuperque magnas ad hoc inſtitutum copias habebit, uti quidem apparet. Debet autem, meo judicio, paratos ſemper habere ſuos, & occultando ſuas actiones & conſi- G lia, num in aliqua re delinquat hoſtilis exercitus, obſervare, *c. 22.*

Solent verò plerunque milites, quantò plures ſunt, tantò magis peccare, ac labi. Nam vel ob curam parandi res neceſſarias, hinc inde diſperguntur; vel iter abſque ordine facientes alii præcedunt, alii longiùs, quàm par & opportunum ſit, à tergo manent. Hujuſmodi errores & peccata minimè relinquenda ſunt impunita, niſi quis regionem totam, caſtra diſperſi militis eſſe velit: & hoc rectè providendum, ut debere ſe ſciat, facinore quodam edito, priùs abſcedere, quàm majores hoſtium copiæ ferendi auxilii cauſa ſuperveniant. Sæpiùs etiam, dum iter facit exercitus, ad eas vias pervenit, in quibus multi plus efficere, quàm pauci, minimè poſſint. Itidem ad loca tranſitu difficilia licebit animum attendenti, ac tutò ſubſequenti, ſic arbitratu ſuo rem gerere, ut quàm multos ex hoſtibus velit, invadat. Nonnunquam commodum, & caſtra metantes, & prandentes, & cœnantes, & è cubili ſurgentes aggredi: Sunt enim milites in his omnibus inermes, ac breviori quidem tempore pedites, equites diutiùs. Speculatoribus & excubiis nunquam inſidiari deſinet. Nam pauci ſemper ad hoc conſtituuntur, & interdum ab exercitus robore procul ab- H ſunt. Ubi verò ſatis hoſtes in his ſibi cavent, rectè faciet, ſibi ope divina fretus, in hoſtium occulta contendet; ubi priùs ei curæ fuerit, quotnam ſingulis in locis, & qua parte regionis excubias agant: Quippè nulla tam pulchra præda eſt, ut captarum excubiarum. Et decipi facilè poſſunt excubitores: Nam quidquid exiguo numero viderint, perſequuntur: idque ſibi mandatum exiſtimant. In receptu conſiderandum, ne fiat in eam partem, qua ſuis opem laturi hoſtes occurrant, *c. 23.*

Qui verò facultatem habituri ſint afficiendi detrimento copias longè ſe potiores abſque diſcrimine ſuo, eos haud dubiè neceſſe eſt adeò præſtare cæteris, ut ipſi quidem in equeſtris rei bellicis operibus exerciti athletæ, hoſtes verò rudes eſſe videantur. Poſſit autem hoc primum ita fieri, ſi ad prædam exituri, ſi equitationi laborando adſuevetint, ut tolerare labores militares queant. Qui enim ad hæc & equi & equites ſtudioſè non adſuefiunt, haud dubiè non aliter ac fœminæ contra viros in certamen deſcendent. Edocti verò & adſuefacti tranſilire foſſas, ſuperare muros, in tumulos ſaltu evadere, de locis ſublimibus tutò deſcendere, adversùs acclivia celeriter agere; hi ſcilicet

inexer-

A inexercitatis ad iſta tantùm præſtiterint, quantùm pedeſtribus alites: at rurſus illi, quorum pedes laboribus obduruere, tantùm iis, qui vias aſperas non trivere, quantùm ſani claudis: gnari denique locorum, in procurſionibus, & receptibus, tantùm ignaris præſtiterint, quantùm videntes cæcis. Hoc quoque ſciendum, equos rectè comparatos, non eos eſſe, qui adeò ſaginati ſint, ut in laboribus ſuffocentur; ſed qui ſint ad equitationis laborem idonei. Et quia frænis ac ephippiis uti licet, ubi loris concinnata ſunt & refecta, nunquam his carere magiſter equitum debet: Nam exiguo ſumptu deſtitutos ab his utiles reddiderit. Si quis autem exiſtimet, multis ſe negotiis oneratum iri, ſi res equeſtris ei ſic exercenda ſit: is cum animo ſuo cogitet, illos, qui ad ludos gymnicos exercentur, multò plus laboris ac moleſtiæ ſuſtinere, quàm eos, qui rem equeſtrem ſtudio maximo tractant. Etenim exercitia pleraque gymnica cum ſudore ſuſcipiuntur, quum major equeſtris rei pars cum voluptate conjuncta ſit. Quippè quod optare quiſpiam fortaſſe poſſit, ut alitis inſtar volet, ei nihil in rebus humanis equitatione ſimilius eſt. Quin etiam in bello victoriam adipiſci, multò glorioſius eſt, quàm in lucta. Nam ad ipſam B quoque civitatem ejus gloriæ pars aliqua manat. Ac plerumque dii per victoriam, feliceſque ſucceſſus in bello, coronare civitates ſolent. Itaque ſcire equidem nequeo, quænam aliæ res potiùs exerceri, quàm bellicæ, debeant, *c.24.*

Hoc quoque cogitandum, prædones maritimos propterea, quòd ad labores adſuefacti ſint, victum ab iis ſibi parare poſſe, qui viribus longè ſunt ipſis potiores. Convenit & terra prædas agere, non eos, qui fructus è rebus ſuis percipiunt, ſed qui victu carent. Nam aut opus faciendum, aut victitandum ex iis, quæ labor alienus excoluit. Aliter nec vivere, nec pace potiri, facile. Revocandum & hoc in memoriam, ne quis in ſuperiores ſe viribus ſic invehatur, ut à tergo receptum equis difficilem ob locorum aſperitatem habeat. Quippè non par in fuga, & in perſequendo impingenti, periculum propoſitum eſt. Monere libet, in eo quoque cautionem adhibendam: Etenim quidam in eos pergentes, quibus ſe ſuperiores eſſe putant, tam infirmas omninò copias ſecum ſumunt, ut ſæpènumero patiantur ea, quæ aliis ſe illaturos exiſtimant: at illos invadentes, quibus ſe certò ſciunt inferiores eſſe, vires omnes, quas habent, adducunt. Ego verò his adſero contraria C planè faciunda, ut quum in opinione ac ſpe victoriæ copias aliquis educit, exercitui ſuo non parcat, quantuſcunque is fuerit: Nunquam enim magnæ victoriæ quemquam pœnituit. Quum autem ſe multò ſuperiores aggreditur, ac futurum proſpicit, ut tametſi pro viribus omnia geſſerit, fugere tamen cogatur: tum longè ſatius eſſe ajo, paucos potiùs, quàm multos adduci; ſed omninò ſelectos equos, & viros præſtantiſſimos: Tales enim & efficere aliquid, & tutiùs ſe recipere poterunt. At ſi contra ſe potiores, adductis ſuis omnibus, recipere ſe velit, neceſſe eſt, tardiſſimis equis utentes capi, alios ob rei equeſtris imperitiam labi, alios ob locorum difficultates intercipi. Non enim facile eſt, ad magnum aliquod ſpatium talem invenire locum, qualem aliquis optet. Quin etiam fiet, ut ob equorum multitudinem in ſeipſos corruant, & mutuò ſe non parùm impedientes, damnis afficiant. E diverſo & equi, & equites boni, è manibus hoſtium diffugere poſſunt; præſertim ſi quis arte quadam per equites, quos ſuperſtites habet, formidinem perſequentibus incutiat. Sunt autem ad hoc utiles inſidiæ factæ: Nec minùs hoc quoque commodum, invenire viam aliquam, unde ſe noſtri tutò conſpiciendos hoſtibus exhibentes, impe- D tum perſequentium reprimant. Manifeſtum & illud, multò citiùs paucos pluribus ſuperiores evadere, tum laborando, tum accelerando, quàm multos paucis. Neque tamen hoc equidem dico, poſſe aliquos propterea, quòd pauci ſint, & laboribus magnis ſufficere, & celeritate vincere: ſed eſſe facilius invenire paucos, quàm multos, qui & curam equis debitam adhibeant, & ipſi rem equeſtrem prudenter exerceant, *c.25.*

Quòd ſi aliquando uſuveniat, ut certamen adversùs equites pares ineundum ſit: mea ſanè ſententia, non malè quis egerit, ſi cohortes ex una tribu duas fecerit, quarum uni tribunus ipſe præſit, alteram ducat aliquis hominum opinione præſtantiſſimus. Hic verò tribuni cohortem aliquantùm à tergo ſequatur; atque ubi jam propiùs adventum fuerit, re ſuis denunciata, in adverſarios curſu prætervehatur: Sic enim futurum opinor, ut majori hoſtibus terrori ſint, & pugna ſuperari difficiliùs poſſint. Sin utrique pedites habeant, etiam hi poſt equites occultari, ſubitòque prodeuntes, & hoſtem cominùs invadentes, majus mihi momentum ad victoriam allaturi videntur. Nam inopinata pleraque, ſi bona ſint, majorem hominibus lætitiam afferre video: ſi dira, plus terroris incutere. E Licet hoc imprimis inde cognoſcere, ſi quis ſecum expendat, quantoperè terreantur ii, qui dilabuntur in inſidias, tametſi numero longè plures ſint; & quum hoſtes hoſtibus adverſi conſident, quàm ingens primis diebus apud utroſque metus ſit. Sed enim hæc ordinari, abſque magna difficultate, poſſunt: at eos invenire, qui & prudenter, & fideliter, & alacriter, & animosè proruant in hoſtes, id jam boni eſt equitum magiſtri. Nam & dicendi facultate præditum hunc eſſe oportet, & ea faciendi, de quibus illi, quos imperio ſuo continet, tum bonum eſſe cognoſcant & parere huic, & ducentem ſequi, & cominùs hoſtes invadere; tum etiam cupidi ſint laudis & celebrationis, ac in ſententia conſtanter perſeverare poſſint, *c.26.*

Jam ſi aliquando, vel aciebus ex adverſo inſtructis, vel locis amborum copiis interjectis, faciundæ ſint equitibus converſiones, & inſequutiones, & receptus: ſolent quidem ut plurimum in his utrique lentiùs poſt converſiones provehi, mediumque ſpatium celerrimo cum impetu conficere. Si quis autem his ita priùs oſtenſis, deinde facta converſione, celeriter inſequatur, & celeriter ſe recipiat: plurimum ſanè damni F hoſtibus hoc modo inferre poterit, & imprimis ſecuritati ſuæ proculdubiò conſulet, dum celeriter inſequetur, robori ſuorum vicinus, & viciſſim celeriter ab hoſtium robore ſe recipiet. Si quis verò de cohortibus ſingulis occultè, vel quatuor, vel quinque præſtantiſſimos equos, & viros, relinquere poſſet, longè hi potiori eſſent conditione ad irruendum in hoſtes ſe convertentes. Hæc ut vicibus non multis legiſſe ſufficit, ita quod plerunque ſe offert, exſequendum; & ejus habita ratione, quod adeſt, quidquid expedit, elaborandum. Omnia verò, quæ fieri oporteat, non magis prodi literis poſſunt, quàm omnia futura ſciri. Hoc autem inter omnes has admonitiones & præcepta mihi quidem optimum eſſe videtur, ut quod aliquis bonum eſſe cognoverit, id uti fiat, diligenter enitatur: Nam quæ rectè intelliguntur, ea neque in agricultura, neque naviculatoria, neque imperandi munere fructum aliquem pariunt, niſi quis ſtudium adhibeat, ut perficiantur, *c.27.*

Ego verò futurum affirmo, ut diis benè juvantibus, hoc modo totus equitatus ad mille compleatur longè citiùs, & minore cum civium moleſtia, quàm ſi ducentos equites externos ſtipendio conducerent. Videntur tamen & hi mihi, ſiqui- G dem acceſſerint, tum dicto magis audiendum equitatum effecturi, tum virtutis in certamine mutuò laudis & honoris avidiorem. Nec me latet, equitatum apud Lacedæmonios in exiſtimatione tum eſſe cœpiſſe, quum equites militię ſuæ externos adjunxiſſent. Itidem ubique probari video & in aliis civitatibus equites externos. Nam uſus atque neceſſitas ad alacritatem non parùm confert. Ad equorum verò pretia pecuniam habituros arbitror & ab iis, qui vehementer ab equitando abhorrent, quandoquidem illi pecuniam pendere malunt, ad quos munus equeſtris rei pertinet, ut equitare non cogantur; & conſimiliter à locupletibus, ſed robore corporum deſtitutis; nec minùs à pupillis, mea quidem opinione, quibus opima domi res familiaris eſt. Advenarum etiam pleroſque, ſi referantur inter equites, liberaliter ſe geſturos arbitror. Nam in aliis quoque muneribus honeſtis, ad quorum ſocietatem à civibus admittuntur, ambitiosè nonnullos imperata facere velle video. Peditatus item adjunctus equitatui plurimùm mihi videtur effecturus, ſi talibus è viris inſtitutus fuerit, qui hoſtibus maximè ſint contrarii. Poterunt autem hæc omnia fieri, ſi divinum ſuffragium acceſſerit, *c.28.* H

---

* Equeſtrium
SIVE MILITARIUM ORDINUM SYMBOLA, INSIGNIA, ET ORIGINES.

*Per Franciſcum Mennes Canon. Liranum evulgata: cujus lucubrationes in hoc opere & argumento adhibuimus.*

Ac primùm quidem

## DE EQUESTRIBUS ORDINIBUS Sæcularibus.

### DEFINITIO, PARTITIO, FORMA CREATIONIS. GENERA VARIA.

EQuites Latinè, Milites communiter Juriſconſultis, apud omnes ferè gentes nomen ab equis invenerunt: Cavalieri enim Italis, Cavalleros Hiſpanis, Chevalier Gallis, Riter Germanis, & Belgis, Margogh Cambro Britannis ab equitando dicuntur, Anglis ſolummodò Knightes vocantur, vocabulo, quod antiqua Anglorum, uti Germanorum lingua mini-



A miniſtrum, ſive ſervientem & juvenem promiſcuè ſignificat. Hinc in Euangeliis antiquis, lingua Anglica pro cliente, Inenycht & Radenightes, ideſt miniſtri equites, apud Bractonum Anglum juriſperitum antiquum legi memorat *Guilielmus Camdenus*, qui tenebant ea lege terras ſuas, ut domino equis inſervirent; unde truncato nomine, contractius Knights iis remanſiſſe exiſtimat, & milites appellatos, qui prædia beneficiaria, ſive feuda tenuerant, ut militarent. Feuda enim militaria dicta fuerunt, & qui alibi Feudatarii, hic milites dicebantur: ut milites Regis, Archiepiſcopi Cantuarienſis, Comitis Rogeri, Comitis Hugonis, &c. quòd ea lege prædia ab illis accepiſſent, ut illis militarent, ſi denique & hominem præſtarent; cum alii, qui pro ſolidis militarent, Solidarii & Servientes appellarentur.

### EQUITES AUGUSTALES, COMMENTARIENSES, Clavicularii, Cornicularii, Torquati, Duplares.

Adde quæ de iis luculenter ſcripſit *Vigilius in Rubr. Inſtit.* B *de Teſt. milit.* Verùm hi, ſive Milites, ſive Equites appellare libet. Auratorum nomen hodiè ab auri præcinctura, vel auratis calcaribus invenere: exemplo nempè Romanorum, apud quos milites Cornicularios, Monozonos, Rudiarios & Commentales paſſim (ut Ramnenſium, Tatienſium, & Lucerum centurias à Romulo: Equitum item Auguſtalium à Tiberio Cæſare inſtitutas, quibus Druſum filium, T. Claudium & Germanicum nepotes adſcripſit, omittam) obſervamus, non aliundè, quàm ab ornamentorum inſignibus, quibus ob emeritam militiam decorati fuerant, denominatos. Quò pertinet & illud *Veget. l.2. de re militari.*

Primi generis *Commentarienſes & Clavicularii* dicebantur: ſecundi generis *Cornicularii*, qui emeriti milites erant armillis corniculiſque virtutis ergò donati. Quod hodiè etiamnum aliquot Germaniæ Principes in more habere, tradit *Lazius*, ut aulicos ſuos multo tempore cognitos, & in variis miniſteriis uſurpatos, ſimiliter corniculis argento comprehenſis, & ex humeris ſuſpenſis donent. Qualiter *Petrus Belojus* ſcribit, Henricum II. Gallorum Regem, Aurelianenſium adhuc ducem exiſtentem, poſt liberatam obſidione Landreſii urbem C Cornicularios Equites creaſſe; quo nomine ſcilicet appellari jus eſſet eos, qui prælii tempore in navatæ virtutis præmium ad id dignitatis cooptarentur.

*Torquati* ſimiliter & *Duplicati* erant milites, torquium ornamentis, ut illi corniculis, decoratis, quibus & duplex plerunque ſtipendium dabatur, unde Duplares dicti ſunt. Quo ex eventu Manlio Torquato memoria apud poſteros manſit, quam hiſtoriam ſcribit *Liv. l.7. primæ Dec.*

Porrò manet & Germanis hoc militum genus, torquatique ac ampliori ſtipendio incedunt, qui aut aliquot annos ſtipendia fecerunt, aut loco nobili nati, cæteris in acie præferuntur. At neque nomen vetus omninò obiit, gentilitia lingua Doppolſoldner vulgò nuncupamus. De torquium dominiis, ſive inſignibus. *Liv. l.4. Dec.3.*

### EQUITES MONOZONI, QUI ET AURATI. Et de eorum Creatione nonnulla.

Monozoni, illuſtres olim cingulo militari, ſive baltheo, fuerunt etiam honorati inter milites; de quibus à Jureconſultis D fit mentio *in lege Valenti*. Quem à priſcis temporibus ad Germanos morem eſſe devolutum invenimus apud *Herodianum l.4. & 5.* ut ſicut apud Romanos ob egregia facta miles baltheo donabatur, ita vetuſtiori adhuc in militia Germanorum cingulo ac gladio (quæ hodiè ornamenta in calcaria ſunt verſa, & auri præcincturam) miles emeritus publicè ornabatur. Hinc cingulo donare elegantiùs, & priſco ex more dicimus, quod hodiè mutata conſuetudine gladio percuti, & auratum fieri Equitem dicere ſolemus. De Baltheorum ornamentis *Iulius Capitolinus in Maximinis & Gordianis*, & *Caſſiodorus inclinantis Imperii auctor in ep. ad Coloſſum Comitem*, aliique fusè meminere. Ad quæ alludens *Otto Friſingenſis l.1. de rebus a Friderico I. Cæſare geſtis c.32.* cum de Geyſa Hungariæ Rege bellum Auſtriæ inferente loquitur: Altero die Rex in prędicto campo ad quamdam ligneam Eccleſiam accedit, ibiq; ab Epiſcopis (nam eò uſque in puerilibus annis conſtitutus nondum militem induerat (accepta ſacerdotali benedictione ad hoc inſtituta, armis accingitur. Sic de Auſtriæ principibus veteribus annales antiquiſſimi à *Lazio* citati referunt, An. 1104. Leopoldus Marchio Sanctus accinctus eſt gladio. Anno 1180. Otacher ex Marchione Styrienſi, Ducis E nomen adeptus eſt; eo anno, quo & gladio accinctus eſt. Et iterùm anno 1225. Fridericus Dux Auſtriæ & Styriæ conſecrationis enſis dignitati Viennæ ſublimatur. Atque hinc arbitratur *Lazius*, morem iſtum defluxiſſe, quo hodiè, ſed inverſo, Germani utuntur: ut Principes, ſicubi aliquem ob laude parta facinora decorare volunt, gladio tangant, quos Equites auratos paſſim vocamus, & quos veteri more cingulo militari donatos appellant. Non enim gladio verberabantur, quod hodiè fit, qui inſigne aliquid in bello, aut prælio egiſſent: ſed gladius illis cùm baltheo à Principe accingebatur. Et qui Monozoni Jureconſultis, Græca Origine, hiſtoricis verò Cincti nuncupati, hodiè Equites aurati, quòd aurum in calcaribus ſcilicet, & gladio geſtare poſſint, appellantur. Hinc legimus in *Annalibus pervetuſtis Auſtriæ*: Anno Dom. 1245. Fridericus Dux Auſtriæ auro plenus & argento, in feſto Sancti Georgii, 140. juvenes de terra ſua nobiles apud Viennam honorificè donavit gladio, & cingulo militari. Equidem in pervetuſtis picturis & ſculpturis licet talem cincturam videre; cingulum ſcilicet, bullis aureis grave ac denſum, in lumbos ac ventrem demiſſum: unde pugio ex uno, & ex altero latere F gladius pendent. Cujus porrò figuræ Romanis cingulum, & præcipuè Principibus fuiſſe, oſtendit *Claudianus Panegyr. 2. Stiliconis.*

*Quin & Sydonias chlamydes, & cingula baccis*
*Aſpera, gemmataſque togas, &c.*

Licèt autem illi Milites ſimpliciter armati, noſtra ætate ordine poſtremi; inſtitutione tamen ante cæteros ordines militares, ſunt primi & antiquiſſimi. Ut enim Romana gens togata, virilem ætatem ingredientibus, virilem & puram togam donaverunt: ita majores noſtri Germani ſuis juvenibus, quos armis tractandis idoneos judicarunt, arma donaverunt, quod ſuis verbis docet *Corn. Tacitus*. Arma ſumere non ante cuiquam moris eſt, quàm civitas ſuffecturum probaverit. Tum in ipſo concilio, vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus, ſcuto frameaque juvenem ornant. Hæc apud illos toga, hic primùm juventæ honos: ante hoc domus pars videntur, mox Reipublicæ. Cum autem hujuſmodi juvenes militares ſua lingua, uti & Belgæ, & Angli Knechts vocarint; G hinc & nominis & inſtitutionis originem repetendam cenſent. Hæc prima & ſimpliciſſima creandi Militis ratio; hac Longobardi, hac Franci, hac Belgæ, hac Angli, qui omnes è Germania profecti, olim uſi ſunt.

Prodit *Paulus Diaconus l.1. c.22.* Apud Longobardos conſuetudo eſt, ut Regis filius cum patre non prandeat, niſi priùs à Rege gentis exteræ arma ſuſcipiat. Nec priùs Aragoniæ Regibus imperii inſignia capeſſere jus erat, quàm Equeſtri auctoramento (quod de Petro Aragonum Rege, qui ab Innocentio III. P. M. militare cingulum accepit, anno 1204. teſtatur *Hier. Blanca*) eſſent decorati. Carolo verò Magno (qui Deſiderium ultimum Longobardorum Regem regno ejecit) imperante, militum inaugurationi, colaphi uſum adhibitum fuiſſe, docent manifeſtè ejuſdem tabulæ, quibus Friſonibus libertatem, & alia id genus privilegia, ob fortiter navatam contra Saxones operam, concedere dignoſcitur; & ob rei antiquitatem hìc recitare pro parte operæ pretium duxi; ita enim inquit: Inſuper ſtatuimus, ut ſi qui ex ipſis ſuſtentationem habuerint, vel militare voluerint, dicta Poteſtas (quod Friſonum Principi Regis loco tum nomen erat) eis gladium circumcin- H gat, & dato eiſdem, ſicut conſuetudinis eſt, manu colapho, ſic Milites faciat, eademque firmiter injungendo præcipiat, ut deinceps more Militum ſacri Imperii aut Regni Franciæ armati incedant: eò quòd conſideramus, ſi prædicti Friſones ſecundùm ſtaturam corporis & formam eis à Deo, & natura datam ſic militaverint, cunctis in orbe terrarum militibus ſua fortitudine, ingenio, & audacia (dummodò, ut prædictum eſt, ſint armati) facilè præcellent & prævalebunt. Qui Friſones ſignum ſuæ militiæ à dicta poteſtate recipere debent, in quo corona Imperialis, in ſignum ſuę libertatis à nobis conceſſę, debeat eſſe depicta &c. Datum Romæ in Lateranenſi Palatio. Ann. Dominicæ Incarnationis 802. Nulli enim, etiamſi Magnates & ad bella ſacra proficiſcentes, militum nomine cenſebantur, niſi per militaris Regulæ profeſſionem inaugurati, ac ſacræ veluti militiæ adſcripti fuiſſent. Cæteri etiam Comites, Duces, Reges, & Imperat. *ut Molanus tradit*, Armigeri, non Milites dicebantur. Huc pertinet illud, quod *in vetuſtis Brabantiæ noſtræ Annalibus* ſcribitur, Godefridum Brabantiæ Ducem iter Jeroſolymam verſus inſtituiſſe, ejuſque filium

A lium Henricum Militem creatum fuiſſe. Tale & illud eſt, quod de Guilielmo Hollandiæ Comite illorum temporum vicinus ſcriptor, & Joannis Trajectenſis Epiſcopi, ac Guilielmi Palatini Comitis Hollandiæ Hiſtoricus, *Ioannes Becanus* memoriæ tradidit. Eum adhuc armigerum exiſtentem, cum eſſet domicellus Hollandiæ, in Imperatorem Romanorum electum fuiſſe, & eapropter mox apparatum feciſſe, ut more aliorum Chriſtianorum Impp. Miles conſecraretur, priùſquam Aquiſgrani diadema regni ſuſciperet. Cum itaque in ſolemni Miſſæ officio, Euangelio decantato, Guilielmus armiger à Rege Bohemiæ coram Petro Capucio, Cardinale Sancti Georgii ad velum aureum, productus fuiſſet, Bohemiæ Rex, qui eum ſiſtebat, hæc ad Illuſtriſſimum Cardinalem verba deprompſit: Veſtræ Reverentię, Pater almiflue, præſentamus hunc electum Armigerum, devotiſſimè ſupplicantes, quatenùs veſtra paternitas votivam ejus profeſſionem ſuſcipiat, ut Militari noſtro Collegio inſcribi valeat. Tum verò Cardinalis, præmiſſa monitione, qua electum Imperatorem inſtruebat, quòd Miles debeat eſſe

B *Magnanimus in adverſitate,*
*Ingenuus in conſanguinitate,*
*Largifluus in honeſtate,*
*Egregius in curialitate, &*
*Strenuus in virili probitate.*

Prælegit Militaris Regulæ jugum, cujus hoc exordium eſt: Hæc eſt regula Militaris Ordinis. Imprimis cum devota recordatione Officium Dominicæ paſſionis diurnatim audire, pro fide Catholica audacter corpus exponere, Sanctam Eccleſiam, ejuſque miniſtros à quibuſcunque graſſatoribus liberare; Viduas, pupillos, & orphanos in eorum neceſſitate protegere. His & iis, quæ ad finem regulæ ſequuntur, lectis, dixit Dominus Cardinalis: Vis Militarem Ordinem in nomine Domini devotè ſuſcipere, & regulam tibi verbotenus explicatam pro tua poſſibilitate profiteri? reſpondit Electus, Volo. Et mox accepta regula, legit in hæc verba: Ego Guilielmus Hollandienſis Militiæ princeps, Sacri imperii Vaſſalus, liber, jurejurando profiteor Regulæ Militaris obſervantiam, in præſentia Domini mei Petri ad velum aureum Diaconi Cardinalis & Apoſto- C licæ Sedis Legati, per hoc ſacroſanctum Euangelium, quod manu tango. Cui Cardinalis, Hæc devota profeſſio ſit peccatorum tuorum vera remiſſio. Amen.

Quibus peractis, Rex Bohemiæ grandem colaphum in collum tyronis dedit, dicens: Ad honorem Dei omnipotentis te Militem ordino, ac in noſtro Collegio te gratanter accipio. Et memento, quoniam Salvator mundi coram Anna Pontifice pro te colaphizatus, & illuſus eſt; coram Pilato præſide flagellis cæſus, ac ſpinis coronatus; coram Herode chlamyde veſtitus & deriſus eſt, & coram omni populo nudus ac vulneratus in cruce ſuſpenſus eſt. Cujus opprobria memorari te ſuadeo, cujus crucem acceptare te conſulo, cujus etiam mortem Chriſti ulciſci te moneo.

Nec non Godefridus Bullonius in Antverpienſi Marchionatu ſuo, exercitus ducendi in Aſiam primitias roboraque deligens, ac in ipſa adeò urbe, Equeſtri titulo cives duodecim duodenario Apoſtolorum numero provocatus decoravit, maximæ rei magna in hoc Apoſtolico delectu initia daturus, dum felici omine ex una hac urbe ſecuturarum victoriarum prænotionem quandam, ſpe plenus, è ſacrato hoc numero D ominatur, & ſpem acti de Turcis Saraceniſque ſuperarunt triumphi. Priſci autem Franci, (qui formulas & cæremonias in rebus plurimis obſervabant, ut Lex Salica teſtatur) inſtituendis Equitibus multas adhibuerant, ut priùs vigilarent diù, blanditiiſque & aliis rebus uterentur, quibus doceant, qui Ordinem hunc ſuſcipiunt, eos corde animoque mundo & honeſtis conditionibus venire oportere, virtutis cauſa omnes labores & difficultates ſtrenuè perferre, prudentia in ſermone & operibus uti, imprimis verò fidem veritatemque colere; quarum cæremoniarum uſus quondam in Hiſpania celebris in Regum & Equitum inauguratione: cujus rei exemplum profert *Curita & Blanca* de Ferdinando Joannis I. filio, qui pridiè ſublimationis in regnum Aragoniæ, facta pervigilatione in Cæſarauguſtana Eccleſia majori, à Duce Gandiæ Militari baltheo cinctus, & Bandæ in Hiſpania milites iiſdem ſolemniis inaugurati ab auctoribus memorantur. Et memoria noſtra mos idem perſtat in Anglia, quæ viros ejuſmodi vocat Balneorum Equites, quorum ſolemnia infrà ſuo loco celebraturi ſumus.

At cum Religio ita animos hominum occupaſſet, ut nihil benè auſpicatè factum, quod à viris religioſis non profectum E cenſerent, ab illis gladium majores noſtri, paulò ante Normannorum in Angliam adventum, acceperunt; quod his verbis, qui tum vixit, Ignulphus: Qui militiæ legitimæ conſecrandus eſſet, veſpere præcedente ad Epiſcopum, Abbatem, monachum vel ſacerdotem contritus de peccatis confeſſionem faceret, & abſolutus, orationibus deditus, in Eccleſia pernoctaret, in craſtinum rem ſacram auditurus, gladios ſuper Altare offerret, & poſt Euangelium ſacerdos benedictum gladium Militis collo cum benedictione imponeret: & communicatus ſacris Chriſti myſteriis, demùm legitimus miles permaneret. Nec ſtatim ſub Normannis exolevit, ſcribit enim *in Polycratico Ioannes Saliſburienſis*: Inolevit conſuetudo ſolemnis, ut ea ipſa die, qua quiſque militari cingulo decoratur, Eccleſiam ſolemniter adeat, gladioque ſuper Altare poſito, & ablato, quaſi celebri profeſſione facta, ſeipſum obſequio Altaris devoveat, & gladii, ideſt officii ſui jugum Domino ſpondeat famulaturum: *Petrus* enim *Bleſenſis, epiſt.* 94. Hodiè tyrones enſes ſuos recipiunt de altari, ut profiteantur ſe filios Eccleſiæ, atque ad honorem ſacerdotii, ad tuitionem pauperum, vel vindictam malefactorum, & pa- F triæ liberationem gladium accepiſſe. Porrò res in contrarium verſa eſt, nam ex quo hodiè militari cingulo decorantur, ſtatim inſurgunt in Chriſtos Domini, & deſæviunt in patrimonium Crucifixi. At quòd hoc modo gladio cingi voluerint, deductum proculdubio, ut diximus, à militari Romanorum diſciplina, ut habet *Cic. lib.* 1. *offic. de Catonis filio.*

Quin ut illi, priùſquam ſacramento militari gladio ſtricto obligati fuerant, pugnare cum hoſtibus nefas exiſtimarunt: ita Chriſtiani, non ſibi legitimè militare licere opinati ſunt, priùſquam hac cęremonia legitima militiæ conſecrarentur; qua Fridericum I. Imp. (apud Othonem Abbatem Friſingenſem) & Guilielmum Rufum Angliæ Regem à Lanfranco Archiepiſcopo Militem factum legimus. Sed hæc conſuetudo paulatim in deſuetudinem abiit: ex quo Normanni, ut habet *Ignulphus*, irriſerint & exploſerint, ac Synodo habita, Vveſtmonaſterii in Anglia anno 1102. ſancitum fuerit, ne Abbates faciant Milites, quod nonnulli tamen exponunt, ne Eccleſiæ prædia militari feudo tenenda Abbates concederent.

Exinde ad Principes vicinos, Reges filios mittere ſole- G bant, ut Equeſtrem ab illis dignitatem acciperent; ſic Henricus Secundus Anglorum Rex ad Davidem Regem Scotorum, & Malcolmus Rex Scotorum ad Henricum II. ſic Alexander Guilielmi Scotorum Regis filius anno 1212. in Angliam, & Eduardus Primus ad Alfonſum XI. Regem Caſtellæ profecti ſunt, ut acciperent ab iis arma militaria, ſive virilia. His enim loquendi formulis pro creatione Equitis eo ſæculo uſi ſunt. Tunc etiam ad ornamentum præter gladium, & cingulum calcaria aurata etiam acceſſerunt: unde Milites & Equites aurati hodiè vocantur. Jus etiam ſigilli additum. Antequam enim Baltheo militari cincti erant, ut colligitur ex Abundonenſi libro, ſigillo uti non licuerat, quod deſcriptum, inquit Richardus Comes Ceſtrenſis ſigillo matris Ermentrudis ſignare conſtituit, cum (nondum enim militari Baltheo cinctus erat) literæ quælibet ab eo directæ, materno ſigillo includebantur. Et in Burgundia in decreto Jacobi, & Guilielmi Juſti ſexto Auguſti 1176. dicitur, armiger, cum Equeſtrem ordinem ſuſcipit, ſigillum mutare.

## ORDO MILITUM SIVE EQUITUM EX CENSU. H

Subſequenti ætate ex Cenſu, ut colligit *Candenus* ſcriptor Anglicus, facti fuerunt milites; qui enim feudum magnum militare, id eſt (ſi antiquis ſchedis ulla fides) 680. acras terræ habebant, Ordinis Militaris ornamenta ſuo quaſi jure poſtularunt. Imò ſub Henrico III. quodammodò coacti fuerunt Milites fieri, quotquot libras quindecim ex annuis terrarum redditibus collegerunt; cum jam titulus potiùs oneris, quàm honoris videretur: Ita enim habet *hiſtoria minor Matthæi Phariſy*, qui ante 350. circiter annos in Anglia nec infideliter ſcripſit. Anno 1256. exiit edictum Regium, præceptumque eſt & declamatum per totum regnum, ut qui haberet XV. libras terræ & ſupra, armis redimitus tyronico donaretur, ut Anglia ſicut Italia militia roboraretur; & qui nollent, vel qui non poſſent honorem ſtatus Militaris ſuſtinere, pecunia ſe redimerent. Unde in archivis regni toties occurrit pro reſpectu militiæ A. de N. I. H. &c. huc uſque & ulteriùs, uti innuere videtur dictus *Candenus in formulis juris Anglici*, ubi duodecim viri, ſive jura-



A tores, nominantur, apud quos facti ſit probatio. Illi Milites dicti erant, quibus erat feudum integrum, illique Milites gladio cincti, qui à Rege Baltheo cincti militari, quo tempore cum Rex milites crearet, ut habet idem *Matthæus Pharis*, veſte deaurata, ex pretioſiſſimo Baudekino, & coronula aurea redimitus, glorioſè in ſolio ſedit ſingulisque militibus 100. ſolidos pro harneſiamentis præſtitit. Nec ſolùm Rex, verùm etiam Comites eo ſæculo crearunt Milites. Meminit idem auctor, quomodò Cloceſtriæ Vvilhelmum Fratrem ſuum proclamato torneamento; & Simon de Monteforti Comes Leiceſtriæ Gilbertum de Clara, Baltheo cinxit militari. Ut in Gallia, quod ex formula literarum nobilitationis conſtat, qui nobilitatis ejuſmodi literas obtinuit, à quocunque milite voluerit, valet militiæ cingulo decorari; & in Hiſpania, uti *Hieron. Curita* teſtatur, in coronatione Alfonſi Quarti Aragonum Regis, qui Cæſarauguſtæ à Petro Luna Antiſtite ſacro oleo perunctus, ſacro Reſurrectionis Domini die anno 1328. militari auctoramento à Rege in maxima illa celebritate, honoribus, præmiis atque ſummo ſplendore hi pro- B ceres decorantur; Jacobus Exerica, Petrus Arborenſis, Radmundus Folchius Cardonenſis Vicecomes, Arnoldus Regerius Comes Polliarienſis, Lupus Luna, Alfonſus Ferdinandus Ixeritanus, Guilielmus, & Berengarius Angleſolæ, Joannes Simenius Urrea, Petrus Cornelius, Guilielmus Cervilionius, Otho Moncada, & Atho Focius. Celebrata pervigilatione, ſinguli eorum procerum militari auctoramento ad CLXXX. alios virtute & nobilitate præſtantes viros cohoneſtavere. Prætereà Petrus Regis frater, Caſtellinovi, & Villanovi Vicecomites Guilielmum Erilium, & Gilabertum Cruiliam; & Raymundus Berengarius Regis itidem frater alios eiſdem inſignibus legumque militarium ſocietate devinxere; & à Raymundo Folcio Vicecomite Raymundus Cardona ejus frater, Ambroſius Rebellius, & Petrus Aragal eodem auctoſamento ornati ſunt. Ad CCL. auctoratorum *Raymundus Montanerius* perquàm gravis illius ſæculi ſcriptor, qui ſe huic rei præſentem fuiſſe perhibet, & triginta millia Equitum, qui Regem ex arce Allaferiæ in ædem maximam Salvatoris ſecuti, numerum exſtitiſſe C prodit.

Verùm honore illo, qui virtuti ac meritis priùs, tanquam eximium operæ naviter militaribus ſtudiis inſumptæ, pretium, ac præmium dabatur, ſenſim vileſcente, ob nobilium indignis eundem conferentium multitudinem, Reges poteſtatem militaris auctoramenti ſibi reſumpſere: adeò ut nemo miles crearetur, niſi vel ab ipſo Rege, vel Regis primogenito, accepta priùs à patre auctoritate; vel à Regis Legato, ſive præfecto in exercitu; idque vel ob res fortiter geſtas, vel gerendas, aut togatam prudentiam. Et hoc ſanè à Regibus Anglis prudentiſſimè inſtitutum, cum feuda jam non ſibi eſſent quæ donarent.

Nihil ſanè valentius ad excitandos viros ſtrenuos, atque adſtringendos ſibi optimos benèque meritos, qui claro loco nati, & à re inſtructi, quàm illos hoc titulo Militum honorare (qui ante honoratæ tantùm functionis nomen erat) benignè & benevolè exornare, qui cum à Principe virtuti meritoque deferebatur, ampli ſanè præmii beneficiique loco, & inter inſignia honoris habebatur. In hoc enim vir- D tutis mercedem, familiæ laudem, generis & nominis memoriam collocatam, qui ſic milites facti, exiſtimarunt. Adeò ut Juriſconſulti nonnulli ſcripſerint, quòd Miles ſit nomen dignitatis; non item Baro; olim enim Baro, ſi non ex hoc Ordine eſſet Equeſtri, ſimpliciter ſuo Prænomine & nomine, ſine aliquo adjuncto, niſi Domini (quod etiam militibus competit) ſcribebatur. Militis autem nomen honorarium videtur adjunctum, cum Reges, Duces, Marchiones, Comites & Barones dignitatem unà cum nomine experierint. Obſervationeque dignum eſt Equeſtris ordinis nobiles tanti fuiſſe olim, quanti nunc ferè ipſi Comites: habebant enim ſuos clientes, armigeros, ephebos, ſatellites, miniſtros concolore ſecum veſte amictos: cujus rei exempla profert *Hembricourtius in ſuo Nobilitario*. Adeòque in diplomatibus antiquis videbis, etiam Baronibus præponi Equitum nomina, exſtatque veteris ritus veſtigium in archivis Lovanienſibus, *in actis oppidi*, *anni* 1260. ubi cavetur, ne quis Equeſtri Baltheo cingatur, niſi tertiò cum duce ad bellum profectus eſſet; unde toties in collatæ dignitatis tabulis numerus expeditionum, inprimis ſacrarum, adſcribi ſolet, quod de Guilielmo de Rode ſpectatiſſimæ virtutis milite tradit E *I. Lipſius rerum Lovanii libro* 3. Juvat hic interſerere, quæ de creatione militum tempore Eduardi Primi ſcripſit *Matthæus Florilegus*. Ad augmentandam profectionem ſuam, fecit Rex per Angliam publicè proclamari, ut quotquot tenerentur fieri milites ſucceſſione paterna, & qui haberent, unde militarent, adeſſent apud Vveſtmonaſterium in feſto Pentecoſtes, admiſſuri ſinguli omnem ornatum militarem, præter equitaturam, de Regia Garderoba. Confluentibus itaque trecentis juvenibus, filiis Comitum, Baronium, & Militum, diſtribuebantur purpuræ, byſſinæ ſyndones, cyclades auro textæ affluentiſſimè, prout cuique competebant. Et quia Palatium regale, etſi amplum, tamen ad tot occurrentium turbam anguſtum fuit, apud novum templum Londini, ſuccifis lignis pomiferis, proſtratis muris, erexerunt papiliones & tentoria, in quibus tyrones deauratis veſtibus ſe ſinguli decorarent; ipſa autem nocte in templo prædicti tyrones, quotquot poterat capere locus ille, ſuas vigilias faciebant: ſed Princeps Vvalliæ, præcepto Regis patris ſui, cum præcelſis tyronibus facit vigilias ſuas in Eccleſia Vveſtmonaſterii. Ibi autem tantus clangor tubarum & tibicinum, & exaltatio vocum præ gaudio F exſtiterat clamantium, quòd conventus de choro ad chorum non audiretur jubilatio. Die autem craſtino cinxit Rex filium ſuum Baltheo militari, in palatio ſuo, & dedit ei Ducatum Aquitaniæ. Princeps ergo factus miles, perrexit in Eccleſiam Vveſtmonaſterii, ut conſcios ſuos militari gloria pariter venuſtaret. Porrò tanta erat ibi preſſura gentium ante magnum Altare, quòd duo milites morerentur, quamplures ſyncopiſarent, etiam cum quilibet ad minus tres milites ad ſe ducendum, & tuendum haberet. Princeps autem propter turbam comprimentem non ſecus, ſed ſuper magnum Altare diviſa turba per dextrarios bellicoſos, ſocios ſuos cinxit.

Apud Gallos item cæteraſque Europæ nationes obtinuit, ut à parentibus filii equeſtri inſigniantur honore: ſic Philippus Auguſtus Ludovicum Ivonem filium, alioſque centum nobiliſſimos viros Compendii ad Eſiam Baltheo militari donavit; parique honore Sanctus Ludovicus Philippum Tertium, hic Philippum Pulchrum, Pulcher tres alios ſuos filios, præſente Eduardo genero Anglorum Rege, affecere, ut notavit *Papyrius Maſſonus lib.* 3. *Annal.* Hic mos ſatis anti- G quus videtur, à Græciſque Cæſaribus, & in Italia à Theodorico Rege olim obſervatus. Athalaricus enim Eutharicum patrem à Græco Cæſare Anaſtaſio filium per arma adoptatum prædicat, & Theoderici apud Caſſiodorum epiſtolæ aliquot leguntur, quibus Reges & privatos quoſdam per arma filios adoptat; hoc enim ſermonis genere utitur.

Fiebant, ait *Philipp. Commineus*, *lib.* 3. *de bello Neapol.* olim nonnunquam Equites ante irruptiones & prælia; quæ conſuetudo in ejuſmodi periculis & anguſtiis obtinebat, quòd eos hac re animatos, officium magis facturos cogitarent, & ſi morerentur, Equeſtrem honorem habituros; nam Equeſtris dignitas in acie quæſita nullis omninò aut factis aut majorum imaginibus claros, nobiliſſimos reddit; qua etiam ornari ipſi Reges à Vaſallis & ſtrenuis viris non dedignantur. Ludovicum Decimumprimum à Philippo Bono Burgundiæ Duce, Henricum Secundum à Mareſcallo Biſienſi, Franciſcum Primum Gallorum Reges memorabili illa pugna Meligniacenſi à Petro Bajardo; Eduardum Quartum à Comite Devoniæ, Henricum Septimum à Comite Arondeliæ, Eduardum Sextum à Duce Somerſetti, alioſque ab aliis H Equeſtris Ordinis ornamenta accepiſſe legimus. *Froiſſardus* ridiculam narrat hiſtoriam, in caſtris Philippi Valeſii ac Eduardi Tertii Regis Anglorum factam: Cum propè eſſet, ut die condicto dimicarent inter Virolyfoſſam & Flamegneriam, lepus ante caſtra Gallorum excurrens, tantum barritum excitavit, ut poſtremi audientes, & pugnæ initium eſſe cogitantes, ſeſe ad arma compararent, quidam autem hippocomi optimè animati Equeſtrem ordinem poſtularunt; cumque non dimicaſſet exercitus, ſed rebus infectis Rex Eduardus diſceſſiſſet, hi ſemper ex eo tempore Equites Lepores ſunt appellati.

Sæpiùs etiam poſt pugnam fortibus viris, quorum bello ſpectata virtus exſtitiſſet, ſpectante omni multitudine patentibus campis, militaris honos delatus; iiſque ſolemniis Rodericum Diam de Bivat, cognomento Cidum (cujus nomen Mauris in Hiſpania maximè fuit terribile) à Ferdinando Primo, poſt captam Coymbram, equitem creatum tradunt Hiſpani: ſic heroicæ fortitudinis viros à Caro-

A Carolo Octavo Gallorum Rege poſt victoriam Farnienſem; ſic à Carolo Quinto Imperat. poſt devictum Saxonem, equeſtri ordini adſcriptos conſtat, tanta paſſim Nobilium accurrente multitudine, ut cum omnibus ſingulatim eam dignitatem conferre non poſſet, vulgari Hiſpanorum lingua exclamaret: Sint omnes Equites. Sic varios à variis poſt partam victoriam principibus militari auctoramento cohoneſtatos, apud hiſtoricos invenias. Mitto, quanto hujus ordinis ſplendore, & magnificentia Imperatores, & Reges mutua quadam monarchis inter ſe, & genuina nobilitatis conferendæ jure gentium facultate, alterutrius ſubditis & legatis decus hoc militare contulerint, eoque honore ornatos dimiſerint.

## EQUITUM FIDES.

Cætera, quæ ad hunc ordinem ſpectant, quàm præclarus, glorioſus, & quàm ſplendidum præmium altiſſimis animis gloriæ, honoriſque cupidis, Equeſtris hic ordo apud B Majores noſtros habitus fuerit, quàm ſtudioſè fidem & veritatem coluerint, cum ſatis fuerit, ſi ut fideles Equites, vel Equeſtri fide aliquid ſponderent. In literis obligationis Hugonis Comitis Sancti Pauli, Guidonis & Jacobi fratrum, quæ Philippo Pulchro Rege conſcriptæ ſunt in Aprili 1289. de comparato agro Avenati in Hannonia, ſpondent illi fidem ſuorum corporum, ut fideles Equites. In literis quoque Joannis Grellii moderatoris Bucenſis bello capti, quibus ſpondebat Septembri 1364. Regi Carolo Quinto, ſe in vinculis manſurum voluit, ſi contra veniret, haberi pro falſo, improbo, perfidoque Equite, & ad ſignum rei ſtemma ſuum inverti ſurſum deorſum, atque ita apud omnes judices reum peragi. Joannes Dux Britanniæ inita cum Rege Carolo VI. pace XV. Januarii 1380. juravit XVI. Aprilis ſequentis, ſe conv entiones eas obſervaturum, mandavitque, Percevallum Chabotum Equitem (qui propterea in vincula fuerat conjectus, quòd decreto cuidam reſtitiſſet) ſolvi ex vinculis, modò daret fidem ſe decreto illi pariturum Equeſtri fide. Et Carolus V. ſummi animi Imper. cum aliquid affirmaret, id fide Nobilis & Equeſtris viri ſe affirmare ajebat.

C Adde & Equites in tabulis Ducum Brabantiæ vocari ſemper fideles & amicos, alios necdum militari baltheo cinctos fideles miniſtros, gettevve Knaben, intellige Schiltknaben, id eſt armigeros. Hæc fuit exiſtimatio, hæc Belgarum & Gallorum Equitum fides, quam Cicero appellat, omnis juſtitiæ fundamentum.

Cum Regis Galliæ filii aut fratres fiebant Equites, ſolemnitates plurimæ obſervabantur, ubi Reges inſidebant coronati, & publicum omnibus epulum exhibebant. Docet *Jonvillanus in Sancti Ludovici vita*, Regem illum, cum Alfonſus frater, Pictonum Comes, & Druidenſis Comes Equeſtrem ordinem acciperent, ſolemne epulum habuiſſe Salmurii, tam magnifico apparatu, quàm videri unquam potuerit, rebus omnibus opibuſque circumfluentibus.

Atque hæc una ex cauſis quatuor, quibus pro conſuetudine ſubditis regalis Dominii Vaſalliſque indicitur penſitatio; ex quo apparet, fuiſſe in ſolemnitate hac ſumptus aliquos ex uſu, & conſuetudine; cujuſmodi etiam penſitatio feudis Militaribus indici ſolita, cum princeps primogenitus Regis Angliæ filius hoc honore ornaretur, ſcribant D alii.

## EQUITUM INSTITUTIO, ET DIGNITAS, an ubique, & apud omnes fieri poſſit?

Ex Jureconſultorum ſententia, Equites ubique, & in Imperio, & alieno dominatu inſtitui poſſunt, ut in collocutione Friderici Secundi Imperat. & Sancti Ludovici, *Abbas Trithemius* ſcribit, Comitem Provinciæ ab eodem Imperatore Equeſtri dignitate ornatum: & Sigiſmundus Cæſar in Martio 1415. Parlamentum habuit Pariſiis, & liti præfuit inter Dominum Peſtellanum, & Signellum, agitatæ de officio Seneſchalli Belcarienſis, Signellus autem fuerat ipſi commendatus; cum itaque audiret ab adverſario objici, Signellum non eſſe Equitem, eum advocavit, dicens, ſui juris eſſe, ut faciat Equitem: ita arrepto unius è ſuis nobilibus gladio, ter Signelli in genua procidentis dorſum percuſſiſſe, deinde ademptum unum ex aureis calcaribus ſuis illi induiſſe, ac poſtremò zonam accinxiſſe, cui magnus culter pro gladio appendebat.

Hoc autem facto, nihil contra majeſtatem, aut jus Regis tentatum eſſe, definit *Vilius in rebus ſuis Gallicis*. Et *Cuſpinianus* tradit, Rodolphum Imperatorem, aſſiſtentibus Regibus Bohemiæ, Hungariæ & Poloniæ, quibus ſingulis enſem tradi curaverat, Equitum inaugurationi celebrandæ, ducentos ampliùs Equites creaſſe, eo fermè ritu, ut una manu tyronum humeros leviter ferirent, altera verò perbenignè eos exciperent. Equeſtris etiam dignitas juſtam nobilitatem à patre arguit. E

Quod ad ſervitutem, in quæſtionibus à Parlamento Pariſienſi habitis 1269. judicatum eſt, Laurentium, qui cubicularius Rohannenſis dicebatur, nobilem à patre ac non à matre Equitem eſſe poſſe. Similiter aliis quæſtionibus, ineunte Novembri 1285. judicium factum de Hugone Querneo: hoc verò ita accipiendum eſt, ſi mater eſt libera; nam ſi ſerva fuerit, aut nexa, etiam ex patre nobili ſervi erunt filii; in ſervum autem non cadit Equeſtris dignitas. *Philippus* tamen *Belmanorianus*, præfectus Claromontanus, apud Bellovacos, in ſuo (ut vocant) conſuetudinario compoſito 1283. narrat Filium nobilis cujuſdam & ſervæ fuiſſe Equitem ab eo factum cujus erat ſerva; retecta verò ſervili conditione ejus, voluiſſe filium in ſervitutem aſſerere, dicendo, eum à ſe, cum ſervitu- F tem ignorat, Equitem fuiſſe factum, ſed favore libertatis liberum illum ac Equitem permanſiſſe, quia Equeſtris Ordo à ſervitute vindicat. Si alius, quàm Dominus, feciſſet Equitem, ordo cum libertate filio periiſſet, quia non fuiſſet penes eum, qui inſtituiſſet Equitem, facultas à ſervitute vindicandi. Nobilitas à matre ſola, ſine beneficio Principis, non facit Equitem: nam moris eſt, ſi quis patre & matre ignobili natus eſt, eum à Rege, cum Equeſtri Ordini accenſetur, in Gallia fieri nobilem. Quamobrem nolunt multi, uti & in noſtris partibus, ab uno parentum nobilitatem ſibi aſſumere, ne ludibrio ſint, ſed Equites fieri à Rege curant: Literæ enim Equeſtris Ordinis nobilitatem confirmant, & ab ignobilitate vindicant. Quòd ſi quis præter regem, penès quem jus eſſe non poſſit nobilitatis conferendæ, ex ignobili Equitem fecerit, uterque culpam præſtat. Philippus Borbonius (qui ex loco ubi natus eſt, aut parens ipſius cognomen habuit) ignobilis duos habuit filios, quorum uni equeſtrem Ordinem Comes Flandriæ, alteri Nivernenſis Flandri filius contulerunt; itaque mulcta Comitibus irrogata eſt, decretis factis, ineunte Novemb. 1269. & ſub Pentecoſtem 1280. & fratres mulcta G librarum mille in Rege damnati, quiſque, decreto facto, ſub medium Novembrem 1281. etſi beneficio Regis Equeſtrem ordinem tenuerunt. Hæc iis locis obtinent, ubi non adverſatur conſuetudo; nam Belcarii, & in Provincia, non exorata à Rege venia, cives in ordinem Equeſtrem cooptari, & Antiſtites in Baronum nobiliumque album referri poſſunt. Ita *Tilius l. 2. de rebus Gallic.*

## EQUESTRIS SIVE MILITARIS RATIO apud Hiſpanos. Ubi de Ricis, Meſnadariis, &c.

Ne autem quidquam eorum, quæ ad dignitatis Equeſtris ſplendorem ubicumque gentium reperire potuimus, peregrinos lateret, nonnulla de militari apud Hiſpanos ratione (quam gentem inſtaurandis reparandiſque bellis natam dicit *Livius*) ſubnectere libuit. Et Eximinus Petri Salanova Juſtitia Aragonum, qui civilis legis ſcientiam cum Equeſtris ordinis claritate habuit conjunctam, cum de privilegiis H Baronum & Ricorum hominum ſe fore dicturum profitetur, ita ferè orditur.

Notandum eſt, quòd in Arragonio omnis homo deſcendens de gente militari per lineam planam, eſt Infancio, id eſt nobilis, ſive ſit legitimus, ſive illegitimus; ſive maſculus, ſive fœmina. Tamen quamvis ex parte matris veniat ex linea militari non eſt Infancio, ni habeat patrem Infancionem, *in Cod. videlicet de Proclam. in ſervit. lib. 6.* & hoc ſervatur. Et per Foros habetur, quòd quilibet Infancio poteſt eſſe miles in Aragonia, alii verò non. Et ſi fortè non Infancio promoveatur per Ricum hominem ad militiam, perdit honorem, quem tenebat Ricus homo, vel ſi non tenebat, nunquam tenere debet. Et ille promotus ſemper remanet villanus, ſublato ſibi equo & armis, ut de re militari *Cod. fin. lib. Ext.* Et quia multæ ſunt ſpecies iſtorum Infancionum in Aragonia, ſciendum eſt, quòd Infancionum alii ſunt Rici homines, & non milites, alii Rici homines (quos Vitalis, & Salanova nonnunquam Barones nuncupant) & Milites, alii Meſnadarii milites, alii non milites, alii



A ſunt milites ſimplices, alii filii militum tantùm, vel nepotes; alii nec Barones, nec Meſnadarii, nec milites, nec militum filii, vel nepotes. Miles autem ſimplex eſt, ut Vitali placet, qui ſui ſcuti, ſive unius ſcuti vulgariter appellatur, Vaſallus alicujus, præter Regem, vel Regis filium; vel Comitem ex Regis genere deſcendentem, vel Prælatum Eccleſiæ, vel qui ab alio, quàm à dictis perſonis, militari cingulo fuerit redimitus; ſed & omnes deſcendentes à tali per lineam maſculinam, inter ſimplices milites computantur.

Infancio ſimplex eſt, qui licèt non ſit miles, jus tamen habet accipiendi militiam, ſi poſſibilitas, voluntas, & opportunitas ſe offerrent.

Ricus, homo Miles, habet omnia privilegia, quæ habent Infanciones, & omnia quæ habent milites, & ultrà, quia terram pro honore non debet dare dominus Rex, niſi illi qui ex natura debet eſſe Ricus homo, & qui non ſit de alieno regno &c. uti ex dicto Salanova prodit *Hier. Blanca*. Ultra communia privilegia Infancionum habent milites iſta: Nam non tenentur, nec eorum filii, aut nepotes facere ſalvam. Item B nullus poteſt aliquem ſalvare pro Infancione, niſi duo Milites. Item equus militis, quo ipſe equitat, non pignoratur. De ſatis c. 1. Item in Aragonia nullus filius militis in menſa militis ſedet, donec fuerit factus miles; hac namque educatione & doctrina, majores ipſi filios ſuos liberaliter inſtituebant, poſtquam eos è ludis & pueritiæ diſciplina profectos, apud ſe in exercitu militiaque diutiùs fecerant commorari. Qua in re videntur fuiſſe elegantem illam Romanorum conſuetudinem imitati, quorum more, nec cum parentibus puberes filii, nec cum ſoceris generi lavabantur. Militum autem vox & Infancionum id ſonat, ut priori Equeſtris Ordinis viros nuncupemus, quos vulgari ſermone Cavallieros; poſteriori verò, quos vocare ſolemus Hijosdalgo. Ipſiuſque Militibus plerumque ſolebant ſingulæ eorum ſtipendiariæ portiones in agris, domibus, ac vacuis tandem poſſeſſionibus aſſignari, quibus & aliis vectigalibus in civitatibus atque oppidis omnibus, Rici homines donabantur à regibus, quæ vocabantur honores, quia in honorem conferebantur. Quo autem illæ firmæ ac ſtabiles militibus ac poſteris remanerent, ſolemnes adhibebantur interdum contractuum, & inſtrumentorum ſtipulationes. Quale illud exemC plum eſt, quod in Tabulario Eccleſiæ de Pilari continetur, & à dicto Blanca in lucem profertur, quo Vicecomes Gaſto Senior, ut inſcribitur, in Caragoca ſubdititium ſibi Militem, quòd ſtrenuè in expugnatione illius urbis dimicaſſet, afficiebatur quibuſdam domibus, & agris, quos quondam poſſediſſet Arabs præcipuus Alchayde Aben Alimen, ut idem perhibet vocitatus. In extremo autem ipſius donationis, hæc verba ſubjunxit, Do tibi omnia ſupradicta bona, ſalva mea fidelitate, & de meo domino Ildefonſo Rege, qui nobis ea dedit. Alia enim ſimillima exſtant nonnulla, quæ Militibus irrogabantur, quòd ſe in medios hoſtes, ut in eis commemoratur, ad perſpicuam mortem pro ſalute exercitus injeciſſent. Quæ omnes hujuſmodi ſtipulationum formulæ, non loqui ſolummodò, ſed perſonare etiam videntur priſtinam illam & Ricorum hominum in Reges, & Militum in Ricos homines fidelitatem præſtandam; quaſi non ſat ducerent futurum, ut eorum omnium integra ac fidelis mens in factis ac commiſſis, ſi non in iiſdem ipſis ſcriptis ſpiraret.

Hi igitur Milites illius Rici hominis cogebantur accitu, cujus ſtipendia merebantur. A quo ſi deficiebant, poterant ſtatim iiſdem omnibus ſtipendiis mulctari. Propterea vulgari ſerD mone Cavallieros vaſallos de los Ricos hombres vocabantur. Ipſæ verò ſingulæ eorum ſtipendiariæ portiones, Cavallierias de honor.

Cæterùm Reges ipſi pro rata eorum portione tenebantur de ſubſidiis Regii patrimonii alios quoque milites ſuſtentare, ſive ii eſſent nobiles, ſive etiam Milites, ſive Infanciones. Triplex enim ea Militum ratio quondam fuit. Hi quia Palatini id eſt de Regis domo erant, quam veteres Meſnadam appellabant, Meſnadarii Milites (quorum familiæ gentilitiæ à Curita, & Alpartilio, cæteriſque Hiſpaniæ antiquariis, deſcribuntur) ſunt vocati, ut diverſis hiſce nominibus, diverſi ipſorum Militum notarentur ſtatus. Quamquam enim omnes genere idem erant, parte tamen ſpecie differebant multùm: Ricorum namque hominum dignitati proximus erat Meſnadariorum iſte militaris, ſeu equeſter ordo, ſic alii aliis illuſtriores. Quibus quæ dabantur à Regibus ſtipendia, ut à prioribus etiam nomine differrent, Cavallierias de Meſnada, ſeu Meſnadarias vocari conſueverunt, Regioque à nutu pendebant prorsùs. Quæ magna tandem erat inter Cavallierias de honor, & Cavallierias de Meſnada differentia, cum has ad libitum conferri E fas eſſet, illas autem nequaquam; poſteà tamen hæc omnis ratio plerumque ſolita eſt traduci, & converti. Unde hodiernis, ut ait *Blanca*, temporibus, Meſnadarios Milites videmus nonnullos, qui priſcam hanc iſtius differentiæ notationem in ſuis inſcriptionibus præ ſe ferunt; ſed cum alioquin ex Meſnadariorum Ordine ſint, honoris lautorum oppidorum dominos nuncupantes, quaſi ea ſibi ac majoribus ſuis eo pacto declarent, non ad Regum nutum, ut Meſnadariis conferri jus erat, ſed in honorem fuiſſe, Ricorum hominum more, contributa. Quæ enim re differebant, nomine etiam diſtare voluerunt. Hinc autem fiebat, ut cum certiſſima hæc eſſent Militibus iſtis propoſita præmia, non dubitarent quibuſvis ſe offerre pro patria periculis; eratque omninò, dum præliabantur, illud inſitum in eis, aut vincere, aut emori: quòd ſi belligerando necabantur, in meliori erant cauſa, & conditione, quàm ſi domi locupletes ſenes remanſiſſent. Eorum verò, qui Imperatores, Duces, arcium præfecti navarchive fuerant, ſepelire corpora, nequaquam licebat, quin priùs declararet Rex, officio ac muneri, quod quiſque illorum ſuſtinuiſſet, ſatisfactum eſſe præſtitamque ſibi in eo ab unoquoque fidem, ſolemni decre- F to interpoſito, liberaret; nimirùm, ut qui fraudem, aut ſcelus commiſiſſet, honore ſepulturæ careret.

Quapropter ita tunc æqualiter omnes omni genere virtutum floruere, ut egregia hæc laus videatur non hominum ſolùm, verùm illorum etiam temporum fuiſſe. Rici homines ergò ſuis Militibus ſtipati, tanta auctoritate incedebant, ut Regibus penè viderentur æquales. Signiferos enim ante ſe, ipſorum Regum more, geſtabant, ſingulos quos vocabant Pendones, aut Seneras, ampliſſima ſummæ eorum dignitatis inſignia præferentes. Unde & ipſos Ricos homines videas in antiquis monumentis paſſim Ricos Hombres de Senera, vulgari lingua nuncupatos. Eorum autem filii Infantes interdum, quemadmodùm & filii Regum, appellari cernuntur. Atque inde credit *Blanca*, ipſorum Infancionum nomen dimanaſſe, & ab infantibus Infanciones, quaſi Infantes inferiores, dictos fuiſſe ipſorum Militum filios; hi enim eorumque poſteri apud Aragones vocantur Infanciones, uti apud Belgas noſtros Militum filii Jonckheers, quaſi juniores domini, appellantur. Militibus enim, cujuſcunque Ordinis ſint, ſive Ricorum hominum, ſive etiam Meſnadariorum, ii dicuntur tantùm qui G ſunt militiæ exauctoramento honeſtati, atque ut vulgò loquimur, *los que actualmente ſon armados cavallieros*. Unde illud *Michaelis Molini in verbo Infancio*: Infanciones naſcuntur apud nos; Milites verò fiunt, ſeu creantur: Quia ſine creatione actuali, ſeu promotione ad militiam, nullus poteſt eſſe miles; ut in foro de creatione Militum. Cæterùm ſubſequenti ætate Ricorum hominum nomen fuit antiquatum, nobileſque vocari conſueverunt. Nam qui modò nobiles dicuntur multis in rebus præ ſe ferunt Ricorum hominum dignitatem, in ea præſertim cujus ſupra meminit *Molinus*. De qua idem alibi: Nobiles Aragonum pro delictis eorum non puniuntur pœnis corporalibus, ut *in obſerv. 1. de pace fol. 24. Et in For. 1. tit.*

Hæc itaque in veteribus Salanovæ monumentis, quæ de Regis ac regni conſenſu è lingua vernacula in Latinam ab eodem verſa exſtant, vulgòque obſervantiæ illius appellantur, de Ricis hominibus, Militibus, ac Infancionibus tradita fuſiùs reperiuntur. A quibus nequaquam diſſentire viſus eſt *Iacobus Hoſpitalis*, præclarus juris Aragonici interpres, in iis, quos ſexaginta fermè annis poſt Salanovam *de legibus Aragonicis* H edidit commentariis *Ioannis Lupi Seſſeſ.* Juſtitiæ Aragonum temporibus, cujus locum tenuiſſe proditur. Quos omnes ſecutus eſt *Bages*, qui avorum memoria eandem quæſtionem iiſdem omninò verbis pertractavit. Veruntamen hæc omnia ab illo fonte & capite fluxerunt, Vitali nempe Epiſcopo, è cujus ſcriptis cæteri, quæ digna judicarunt, ſelegerunt, & *Hier. Blanca in commentariis ſuis* planiùs & apertiùs expreſſit.

## MILITES BANERETTI IN ANGLIA.

Baneretti, aliis Baroneti, Milites, qui Auratis hodieque in Anglia digniores habentur, nomen habent à vexillo: conceſſum enim illis erat militaris virtutis ergò, quadrato vexillo perinde ac Barones uti, unde & Equites vexillarii verè à nonnullis vocantur, & à Germanis Bannet Leirs. Horum antiquitatem ultrà Eduardi III. tempora, cum Angli bellicis laudibus abun-

Abundarent, haud repetit *Camdenus*, ut tunc primùm excogitatum hunc titulum honorarium in bellicæ virtutis præmium credat. In actis publicis ejus ævi fit mentio inter titulos militares, Banerettorum hominum ad vexillum, qui iidem videantur hominum ad arma; & Rex Eduardus Tertius, in charta Joanni Goupland, Baneretti ſtatum, quòd Davidem II. Scotorum Regem in prælio apud Dunelmiam cepiſſet, his verbis erexit: Volentes ipſum Joannem, qui Davidem de Bruis cepit, & gratanter nobis liberavit, propter ipſius probitatis, & ſtrenuitatis merita taliter præmiare, quòd alii per hoc exemplum capiant nobis temporibus futuris fideliter obſequendi eundem Joannem in ſtatum Baneretti poſuerimus, & pro eodem ſtatu manutenendo conceſſerimus pro nobis & hæredibus noſtris eidem Joanni quingentas libras percipiendas ſibi & hæredibus, ſingulis annis, &c. Memoria dignum eſt hìc formulam adnotare ex *Froſſardo*, qua Joannes Chandos, vir ſuo tempore militari laude florens, factus ſit Banerettus. Cum jam Eduardus VValliæ Princeps belli aleam experturus erat pro Petro Caſtellæ Rege contra Henricum Nothum & Gallos, Joannes Chandos principem acceſſit, vexillumque ſuum complicatum illi in manus tradidit, ſic affatus: Domine mi, hoc meum eſt vexillum, placeat vobis explicare, ut hodiè efferam: Sunt enim mihi, favente Deo, ad hoc proventus ſatis magni. Princeps verò, & Petrus Rex Caſtellæ, qui adſtitit, acceperunt in manus vexillum, & illi reddiderunt explicatum, cum hujuſmodi verbis: Domine Joannes, quod felix fauſtumque tibi ſit, & in gloriam cedat, viriliter agas, & oſtendas, qui vir ſis. Ille, accepto vexillo, alacris ad ſuos ſe contulit, & attollens, Commilitones, inquit, ecce vexillum meum & veſtrum, ſi ut veſtrum animoſè propugnetis. Poſterioribus temporibus, qui ad hunc honorem evehendus, vel ante prælium, ut animi excitarentur, vel poſt prælium, ut virtuti ſuus conſtaret honos, geſtans ſignum oblongum, Permom vocant, in quo ſua depinguntur inſignia, inter duos ſeniores Equites, præeuntibus tubicinibus & Heraldis, coram Rege, vel Prorege adducitur, qui benè ominatus, jubet ſigni extremitatem abſcindi, ut ex oblongo vexillum fiat quadratum.

## MILITES BACCALAUREI.

Baccalaurei milites, Knights Bacchallers, fuere illi, qui tamquam tirones electi medii inter Equites auratos, & Armigeros. In archivis enim leguntur nomina militum Baccalaureorum & Valectorum Comitis Glocestriæ; unde ſunt, qui Bachallers, quaſi Bas Chevaliers dictos volunt, licèt alii à Gallico Battallier, quod depugnare ſignificat, deducunt. Antequam Ordines Equitum à Carolo Rege Septimo fuiſſent in Gallia diſpoſiti, duo erant equitum genera, Vexillarius, qui Vaſallos ſuos habebat elato vexillo, & Baccalaureus, qui ſub alieno vexillo procedebat. In decreto Joannis Ponthivani, facto 23. Febr. 1385. Thoarienſis Vicecomes ſummus & primus Comitis Pictonum Vaſallus dicitur, triginta duo vexilla habens in ductu ſuo. In decreto facto 3. Junii 1400. Comes Vallenſis contendit, Rodulphum Comequanum Vexillarium ſolummodò ac non Baronem eſſe, extuliſſe vexillum, quod ludibrio fuerit, eumque fuiſſe dictum Equitem quadrati vexilli: Comequanum verò ſe aſſeruiſſe Baronem, qui Vaſallos ferè quinquaginta & proventum magnum habuerit. Statuit conſilium ſtrictum Caroli Sexti Regis, comitatum Iſabellæ filiæ Regis in Angliam profecturæ, ut nuberet Richardo Secundo Regi, fore duorum equitum Vexillariorum, & quinque Baccalaureorum, ut miniſtrarent ei: itaque delegati ſunt Almontenſis & Garenſerianus Vexillarii, & Reginaldus Joanneſque Triani, Galoſius Annojus, Carolus Chambellius, & dominus S. Clari, Baccalaurei. Vexillarius in bello, eques duplaris erat ad Armigerum. In ſponſione clientelæ, quam Philippo Valeſio fecit Godefridus Comes Lemovicum Septemb. menſe 1337. ducentenis libris proventus ad vitam ex ærario Regis, & quinquaginta libris ſemel numerandis, promittit ſe miniſtraturum Regi cum ducentis viginti Equitibus, ordinario ſtipendio vicenum ſolidorum in Vexillarium, denum in Equitem, quinum in Hippoconum, diebus ſingulis; cujuſmodi ſponſiones in chartophylacio regio exſtant innumeræ.

## FORMA CREATIONIS EQUITUM Uſitatior.

Cæterùm miles nemo naſcitur, ſed noſtris temporibus, ut alibi delibavimus, à Principe vel ejus legato, habita aut generis, aut virtutis, vel fortunę rerum domi foriſque benè geſtarum ratione, dignitatem equeſtrem (quæ non niſi cum vita tollitur aut amittitur) ſtricto gladio leviter humeris percuſſis, & flexis genibus, candidati accipere ſolent, additis verbis ſolemni more conceptis, invocatoque ferè Numine cujuſque provinciæ tutelari. Sis eques in nomine Dei, Surge Eques; cæteræque id genus cæremoniæ pro patriæ conſuetudine adhibentur. Nullibi autem ſolemniores, quàm in Regis aut Imp. Romanorum electione, qui proceres aliquot è nobilitate primaria tyrones ſtricto D. Caroli gladio, in album equeſtrem adoptare ſolet. Qui ſic militaris Ordinis fiunt, oſculato enſe, addito nominibus vocabulo, in Gallia Leſſire, in Anglia Sir, ad vitam ubivis (more Gallico in Regibus compellandis) ab aliis diſtinguuntur. Formam etiam cum ritibus antiquam, Anonymi cujuſdam Angli ex veteri chronico addam. Anno, inquit, 1316. Dominus Richardus de Rodneji factus fuit miles apud Keynsham die tranſlationis S. Thomæ martyris, in præſentia Domini Amadrici Comitis de Pembroke, qui cinxit eum gladio, & Dominus Mauritius de Barckleji ſuper pedem dextrum poſuit unum calcar, & Dominus Bartholomæus de Badeliſmer (Baro uterque) ſuppoſuit aliud ſuper pedem ſiniſtrum, in aula; & hoc facto, receſſit cum honore.

## JURAMENTUM MILITARE.

Juramentum militare antiquum colligimus ex *Livii & Vegetii verbis l. 12. de re militari*, per eos factum, cum devotione capitum ad quævis infortunia pro Romana Republ. Quæ conſuetudo adhuc manet, ſed ritu veteri in religionem noſtram detorto; ſub finem enim militaris, & civilis juramenti adjiciuntur hæc verba: Sic me Deus adjuvet & omnes Sancti.

## MILITUM EXAUCTORATIO.

De exauctoratione verò militum (quæ ignominiæ militaris nota erat) aliis diſquirendum relinquo. Scribunt de ea *Herodiabus l. 2. in oratione Severi Septymii. Tac. l. 12.* Uti etiam cum ita deliquiſſent, ut capitali ſupplicio afficiendi, ſuis inſignibus fuerint exuti, baltheo militari diſcincti, gladio adempto, abſciſſis ſecuri calcaribus, chirothecis ablatis, & clypeo gentilitio inverſo; perinde ac in degradandis cœleſtis militiæ militibus, Eccleſiaſtica ornamenta, liber, calix, & ſimilia auferuntur. Simul perpendant, ſi hæ dignitates equeſtres, quæ olim tam fuerint glorioſæ, dum rariores, dum quaſi præmia virtuti conſtitutæ, non evileſcant, cum ſint effuſiores & cujuslibet ambitioni proſtitutæ jaceant; quod in re ſimile olim conqueſtus erat apud Romanos Æmilius Probus.

## ARMIGERI MILITES.

His militibus proximi fuere Armigeri, qui & Scutiferi, homineſque ad arma, Gothis Schilpor, à Scuto ferendo, ut olim Scutarii à Romanis dicti; qui vel à clypeis gentilitiis, quos in nobilitatis inſignia geſtant, vel quia principibus & majoribus illis nobilibus ab armis erant, nomen traxerunt. Olim enim ex his duo unicuique militi inſerviebant, galeam clypeumque geſtabant, ut individui comites adhærebant, eò quòd à milite domino ſuo terras reliquas in Scutagio tenebant, ut ipſe miles à Rege in feudo militari, qui jam non ſunt ampliùs in uſu. Armigeri primarii hodiè cenſentur, qui ſunt pro Principis corpore ſelecti: ſecundò Equitum Auratorum filii natu maximi, & eorum itidem filii maximi ſucceſſivè: tertio in loco habentur filii natu maximi minorum filiorum Baronum, & aliorum ſuperioris Ordinis; quando autem primogeniti maſculi deficiunt, deficit unà cum illis titulus: quarto in Anglia ordine ſunt, quibus Rex ipſe cum titulo inſignia donat, aut Armigeros creat collum torque S.S. vel ſigmatico argenteo, & candidis & argentatis calcaribus exornans; unde hodiè in occidentalibus regni illius partibus vocantur vulgò *VVithesperres*, ad diſcrimen militum, ſive Equitum auratorum, qui auratis calcaribus uti ſolent. Eorumque primogenitis titulus ſolummodò competit. Quinto loco Armigeri ibidem habentur quicunque aliquo ſuperiori in Rep. munere funguntur, vel Principi honeſtiori conditione famulantur. Sed hoc officii nomen, quod olim officii tantùm fuit, inter dignitatis titulos, regnante Richardo II. primùm irrepſiſſe, tradit *Camdenus*. Verùm uti in quibuſdam Italiæ locis Equites ſunt hæreditarii, multi ubivis etiam Armigeri naſcuntur, quod *ex tabulis militaribus Marci Antonii Perezii*, antiquæ nobilitatis Equitis, Sereniſſimo Eburonum Principi à Conſiliis & Cubiculis, viri ſupra natalium ſplendorem magnitudine animi, virtute ac literarum gloria illuſtriſſimi (quæ ſcilicet M. Ludovicum Perezium filium, armigerum natum, peculiari Principis indultu prædicant) aliiſque publicis archivis didicimus. Sic & præter Equitum primogenitos, Armigeri titulo ſæpiùs habentur hæreditarii, Angliæque Regibus ſuus



ſuus eſt hæreditario jure honorarius Eques, & pugil, qui in Regiis inaugurationibus armatus aulam ingredi ſolet, & per ſecialem electum jam Regem ſe pro vero, ac legitimo regni hærede agnoſcere proclamari jubet; & ſi quis adeò temerarius ſit, qui contradicere audeat, cum eo ſe duello decernere paratum oſtendit.

## * ORDINES EQUESTRES SACRI, Eorumque Institutio, Dignitas, Prærogativa, & exercitia.

## ORDO EQUESTRIS SANCTISSIMI SEPULCHRI Domini nostri Jesu Christi In Regno Hieroſolymitano.

Non in Sacerdotibus tantùm, Monachis, & Virginibus ſapientiſſimum divinæ providentiæ ordinem jam à naſcentis Eccleſiæ exordiis eluxiſſe apparet: verùm etiam in militaribus viris, qui cœleſti fortitudine armiſque ſolidioribus, quàm ſint ferrea, opus eſſe intelligentes, voto ſe ac regulis ipſorum, quantum arma tractaturis pro fide Chriſti ſat erat, obſtrinxere. Et non ſecùs, ac in veteri lege Machabæi, Propheta Regius, aliique Iſraelitarum Duces, præliabantur prælia Domini: ita citrà Conſtantinum Magnum, qui præter duos Philippos A. A. patrem & filium, imperium Chriſto nuncupavit, ſemper extitere Ordines quidam non tantùm dilatandæ, verùm etiam armis tutandæ Religioni; ii verò cuncti, inſtar Conſtantini Magni, Joviniani, Valentinianorum, Theodoſiorum, cæterorumque Principum Catholicorum, crucem geſtabant, ſed diſcolorem: alii rubram, alii viridem, alii albam, alii aliam (qualem Conſtantino Magno contra hoſtes dimicaturo primùm in cœlo apparuiſſe, auctores, numiſmata, & pyramides teſtantur) præferebant. His omnibus antiquiorem ſtatuunt Ordinem Sanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Jeſu Chriſti, quinque rubri coloris crucibus inſignem; nec deſunt qui originem ejus ad S. Jacobum fratrem Domini, Epiſcopum Hieroſolymitanum, Anno 63. pro Chriſto cæſum, referre contendant; quo nomine etiam hujus inſtituti milites, Hieroſolymorum urbis Patriarchæ fuerint ſubjecti: alii ad Conſtantini Magni Imperium rejiciant. Hujus enim piiſſimi Imp. mater S. Helena, cum Crucem, & Monumentum Dominicum divino monſtrata numine fœliciter reperiſſet; ſumptuoſas in honorem Sanctiſs. Reſurrectionis erexit ædes, quibus conſequenti ætate Canonicorum Regularium D. Auguſtini fuit adjunctum collegium ejuſque Sodalibus S. Sepulchri cuſtodia demandata, Saracenis interim & Turcis (qui rerum inibi potiti, totum Orientem, & præcipuè Paleſtinam diutiſſimè afflixerunt) id ægrè, tributo annuo perſoluto, indulgentibus. Quo factum, ut Carolus Magnus, Imperii Occidentalis conditor, Chriſtianorum tranquillitati iis partibus ſtabiliendæ, cum infidelium Rege Aarone fœdus inierit; cæteriſque poſterioris ſæculi Principibus, ut ritu inter Chriſtianos ſuſcepto, certis urbis Sanctæ attributis locis, ſacra peragere poſſent, eſt datum. His penè Barbarorum vinculis, per tot annorum decurſus, S. Sepulchri Sodalium detenta virtus, fœlicibus Godofredi Bullonii, & Balduini fratris auſpiciis, quaſi relaxata, in apertum tandem prodiit: ii Canonicos regulares S. Sepulchri cuſtodes, Militiæ ſuæ ad honorem Sanctiſs. Reſurrect. ſuſceptæ, uniri voluere: quorum incredibili virtute muniti, id perfecere, ut Chriſtianorum regna, provincias, urbes, tam in Oriente, quàm in Occidente, adversùs Barbarorum, & infidelium incurſiones, vel fortiſſimè tutati fuerint, vel etiam recuperaverint, & Chriſtianum nomen per florentiſſimas terrarum partes admodùm propagarint; idque eo ſolo intuitu & fine, ut Chriſtiana religio, aut ſartatecta conſervaretur, aut à Barbaris oppreſſa, in integrum reſtaurata refloreſceret. Ejus rei fidem faciunt tot belli ſacri expeditiones in terram Sanctam ſuſceptæ, quæ Cruciatæ, aut Viæ S. Sepulchri nomine, ab auctoribus commendantur. Docent tot Principum, & fortiſſimorum Ducum (qui Militiæ Sancti Sepulchri nomina dederunt) ad Summos Pontifices, de rebus in Syria geſtis, perſcripta teſtimonia, necnon ſumptuoſiſſima, titulo S. Sepulchri, per orbem Chriſtianum erecta cœnobia, in quibus hodièque videre licet militum illorum imagines & monumenta, tibiis in crucem tranſverſis; ſic enim ſepulti fuerunt, quotquot illo ſæculo nomina bello ſacro dediſſent; vel qui, veluti tunc temporis ſunt locuti, Crucem ſuſcepiſſent. Verùm peſſum jam eunte Hieroſolymitano regno, & per inteſtina mala diſtractis Chriſtianorum animis, domeſticorum perfidiæ ceſſit bellicoſorum Sodalium deſtituta virtus. In Italiam itaque ſecedentes, ſede Peruſiæ conſtituta, alii ex voluntate Innocentii Octavi Pont. M. in ſocietatem Rhodiorum Equitum adſciti ſunt; alii ad propria, dum copiæ adversùs communem Chriſtiani nominis hoſtem reſtaurarentur, remearunt. Hujus militiæ meminit fusè *Innocentius III. Cap. inter dilectos de donat. ex.*

Tenentur autem Ordinis Candidati, regulæ præſcripto, infidelibus pro virili arma inferre, captivos redimere, preces & horas S. Crucis quotidiè recitare, & quinque Cruces rubras in honorem quinque Plagarum Domini noſtri Jeſu Chriſti; vel uti *Equeſtres tabulæ Petri Menenii* indicant, S. Crucis Sanctiſſimique Chriſti Sepulchri ac S. Georgii inſignia deferre. Leges, ſive Conſtitutiones, quas vocant, ipſis Latinè à Carolo Magno, Ludovico Pio, Philippo Sapiente, & Ludovico S. Galliarum Regibus, & Godofredo Bullonio, præcipuo Ordinis inſtauratore, præſcriptas, ex autographo recitat *Iacobus Villamontius*: privilegia verò & cæremonias *Bartholomæus à Saligniaco*, *Ioannes Zuallardus*, *Nicolaus Hautius* Fromontii regulus, ejuſdem Inſtituti Equites; nec non *Nicolaus Chriſtophorus Radzivillius Dux Olizenſis, & alii in ſuis de Terra Sancta* conſcriptis libris recenſent. Quæ breviter ab *Abrahamo Ortelio* ex iiſdem ferè concinnata, ob virtutis famam, & præcipuum belli adversùs Saracenos gerendi (cui milites illi deſtinati erant) ea ætate ſtudium, quòdque in ipſa urbe Hieroſolymitana à Summi Pontificis Vicario ad S. Sepulchri monumentum militaria inſignia Religionis ergò hodièque ſuſcipere ſoleant, breviter hìc referre haud incongruum duxi.

## FORMA CREANDI EQUITES HIEROSOLYMITANOS.

*In nomine Domini. Amen. Incipit modus præficiendi, ſive ordinandi Militem Sanctiſs. Sepulchri D. N. I. Chriſti.*

Ante omnia, ordinandus Miles præparet ſe ad devotionem, ut valeat percipere gratiam officii ſacræ militiæ, ac præmiſſa Confeſſione, auditaque Miſſa, & percepta Dominica Communione, intromittatur in atrium Sanctiſſimi Sepulchri, & tunc incipiatur juxta modum, qui ſequitur. Primò congregatis omnibus intrà Sanctiſſimum Sepulchrum, canetur hymnus, ſcilicet, Veni creator Spiritus, &c.

Deinde ℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.

℟. Et renovabis, &c.

℣. Domine exaudi orationem, &c.

℟. Et clamor, &c.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

*Oremus*. Deus qui corda fidelium S. Spiritus, &c.

Deinde debet interrogari à Patre Guardiano: Quid quæris?

Reſponſio flexis genibus: Quæro effici miles ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Jesu Chriſti.

Interrogatio. Cujus conditionis es?

℟. Nobilis genere & parentibus generoſis natus.

Interrog. Habeſne, unde honeſtè manutenere poſſis ſtatum, & militarem dignitatem, abſque mercibus, & arte mechanica?

℟. Habeo Dei gratia bonorum ſufficientem copiam.

Interrog. Es ne paratus corde & ore jurare pro virili militaria ſacramenta, eaque ſervare, quæ ſequuntur?

Primò, Miles ſanctiſſimi Sepulchri, omni die, opportunitate habita, Miſſam audire debet.

Secundò, Cùm neceſſe fuerit, bona temporalia & vitam exponere debebit, ſcilicet, quando eſt bellum univerſale contra infideles, & venire in propria perſona, vel mittere idoneum.

Tertiò, Eſt obligatus ſanctam Dei Eccleſiam, & ejus fideles miniſtros ab eorum perſecutoribus defendere, & pro viribus liberare.

Quartò, Debet injuſta bella, turpia ſtipendia & lucra, haſtiludia, duellum, & hujuſmodi (niſi cauſa militaris exercitii) omninò vitare.

Quintò, Debet pacem & concordiam inter Chriſti fideles procurare, Rempublicam exornare & augere, viduas & orphanos protegere, juramenta execrabilia, perjuria, blaſphemias, rapinas, uſuras, ſacrilegia, homicidia, ebrietatem, loca ſuſpecta, & perſonas infames, atque vitia carnis vitare, & tamquam peſtem cavere, & ſe apud Deum hominéſque irreprehenſibilem exhibere, ac etiam verbo ac facto ſe dignum tanto honore demonſtrare, Eccleſias frequentando, & cultum divinum augmentando. Quæratur ergo, ſi eſt paratus, corde & ore hæc omnia proteſtari, jurare & facere.

℟. Ego N. profiteor & promitto Deo Jeſu Chriſto, & B. Virgini Mariæ, hæc omnia pro virili me obſervaturum. His per-

A peractis, benedicatur enſis à Guardiano ſecundùm formam inferiùs poſitam, ſi non eſt aliàs benedictus: ſed ſi benedictus eſt, vel poſt benedictionem, vocato uno ordinandorum, & genuflexo ante ſanctiſſimum Sepulchrum, Guardianus ponat manus ſuper caput ejus, & dicat: Et tu N. eſto fidelis, ſtrenuus, bonus, & robuſtus Miles Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſanctiſſimi ejuſdem Sepulchri, qui te cum electis ſuis in gloria ſua collocare dignetur. Amen.

Hoc finito, Guardianus porrigit militi calcaria inaurata, quæ pedibus ſuis accommodabit in terra exiſtens. Poſteà dat enſem nudum Chriſti militi, dicens: Accipe N. ſanctum gladium in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen (ter ſignum Crucis exprimens) & utaris eo ad defenſionem tuam, & ſanctæ Dei Eccleſiæ, & ad confuſionem inimicorum Crucis Chriſti, ac fidei Chriſtianæ, & quantùm humana imbecillitas permiſerit, eo neminem injuſtè lædas: quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Deinde enſis in vaginam reponitur, & à Guardiano prædicto enſe cingitur, dicendo: Accingere N. gladio tuo ſuper fe- B mur tuum potentiſſime, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & attende, quòd ſancti non in gladio, ſed per fidem vicerunt regna. Enſe accinctus miles ſurgit, & genibus nixis, inclinatoque capite ſupra ſanctum Sepulchrum, à Guardiano ordinatur, percutiendo ter enſe prædicto ſcapulas militis, & dicendo ter, videlicet: Ego conſtituo, & ordino te N. militem ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Jeſu Chriſti, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen: faciens ter ſignum crucis. Deinde oſculetur eundem, ponens more majorum torquem aureum cum cruce pendente in collo ejus, & ordinatus deoſculetur ſanctum Sepulchrum, poſteà diſcedat & reſtituat omnia; & vocato alio, iiſdem cæremoniis in numerum militum ſancti Sepulchri cooptatur: ordinatus interim in atrio ſancti Sepulchri remaneat, quouſque omnes ad hunc honorem promovendi, ſint promoti. Poſt quorum, vel cujus ordinationem, Te Deum laudamus, &c. à monachis decantatur, & ad ſacellum fratrum minorum itur, vel ibidem ſtatur, prout voluerit, vel ordinaverit Guardianus: deinde dicuntur hæc in ſingulari, ſi unus eſt: ſi verò plures, in plurali. In ſingulari dicitur: Specioſe forma præ filiis hominum, C accingere N. gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime: & ſi plures, dicitur in plurali.

℣. Domine exaudi, &c.

℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum: Et cum Spiritu tuo.

Oremus. Da Eccleſiæ tuæ miſericors Deus, ut ſancto Spiritu congregata, hoſtili nullatenùs incurſione turbetur.

Omnibus ſempiterne Deus ſuper hunc N. (vel hos) famulum tuum, qui eminenti mucrone circumcingi deſiderat, gratiam tuæ benedictionis infunde, eundemque dexteræ tuæ virtute munitum, fac contrà cuncta adverſantia cœleſtibus armari præſidiis, quibus nullis in hoc ſæculo tempeſtatibus bellorum turbetur. Per Dominum noſtrum, &c. Ad extremum, amplectitur illum Guardianus & alii, ſi qui volent.

## BENEDICTIO ENSIS.

Is qui benedicit, teneat enſem nudum ante ſe, & dicat:

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini, &c.

D Oremus. Exaudi quæſumus Domine preces noſtras, & hunc enſem, quo ſe famulus tuus hic cingi deſiderat, majeſtatis tuæ dextra dignare benedicere, quatenùs poſſit eſſe defenſor Eccleſiarum, viduarum, orphanorum, omniumque Deo ſervientium, contra ſævitiam paganorum, aliiſque ſibi inſidiantibus ſit terror & formido, præſtans ei æquæ perſecutionis, & juſtæ defenſionis effectum, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus. Benedic Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per invocationem nominis tui, & per adventum Chriſti Filii tui Domini noſtri, & per domnum Spiritus S. hunc enſem, ut hic famulus tuus, qui hodierna die, tua concedente pietate, præcingitur, viſibiles & inviſibiles inimicos proſternat & conculcet, victoriaque potitus, maneat ſemper illæſus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum: miſericordia mea & refugium meum, ſuſceptor meus & liberator meus, protector meus, & in ipſo ſperavi, qui ſubdit populum meum ſub me. Gloria Patri & Filio, &c.

℣. Salvum fac ſervum tuum Domine. E

℟. Deus meus ſperantem in te.

℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Domine exaudi orationem meam, &c. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus. Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cuncta ſolus ordinas, & rectè diſponis, qui ad coercendam malitiam & improbitatem malorum, & tuendam juſtitiam, uſum gladii in terris hominibus tua ſalubri diſpoſitione permiſiſti, & militarem Ordinem ad populi protectionem inſtitui voluiſti, quique per beatum Joannem militibus ad ſe in deſerto venientibus, ut neminem concuterent, ſed propriis contenti eſſent ſtipendiis, dici feciſti: clementiam tuam ſuppliciter exoramus, ut ſicut David puero tuo, Goliath ſuperandi largitus es facultatem, & Judam Machabæum de feritate gentium, nomen tuum non invocantium, triumphare feciſti: ita & huic famulo tuo N. qui noviter jugo militiæ colla ſupponit, pietate cœleſti vires ac robur ad fidei & juſtitiæ defenſionem tribuas, præſteſque ei fidei, ſpei, & charitatis augmentum, & tui timorem pariter & amorem, humilitatem, F perſeverantiam, obedientiam & patientiam, cunctaque in eo rectè diſponas, ut neminem cum gladio iſto, vel alio injuſtè lædat, & omnia cum eo juſta & recta defendat; & ſicuti ipſe de minori gradu ad novum militarem provehitur honorem, ita veterem hominem deponens cum actibus ſuis novum induat hominem, ut te timeat, & rectè colat, perfidorum conſortia vitet, & ſuam in proximum charitatem extendat, præpoſito ſuo in omnibus rectè obediat, & ſuum in cunctis juſtè officium exequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Multa alia ad illuſtrationem Ordinis piè decenterque inſtituta, quæ commemorare longum eſſet, nec non & tabulas prelo digniſſimas, hactenùs nunquam editas, quibus Philippus Secundus Hiſpaniarum Rex Catholicus in ſummum Ordinis Magiſtrum, ejuſque ſucceſſores, à militibus Hieroſolymitanis, præſertim Belgis, ibidem nominatis, Anno 1558. in Eccleſia Hochſtratana ditionis Brabantiæ ſunt electi. Vide & Marianum Scotum, & Lambertum Schaffnaburgenſem, qui de piis boniſque Principibus & Epiſcopis, qui anno Domini 1063. Hieroſolymam peregrinati ſunt, ſcripſere. Ad horum ferè Equi- G tum normam creari ſolent Equites S. Catharinæ ad montem Sinai, ejuſdem Virginis ſacratiſſimo corpore celeberrimum, & mediam rubei coloris rotam gladio transfixo pro inſignibus præferre.

## ORDO EQUITUM SANCTI MAURITII, ET S. LAZARI APUD Sabaudos.

Initia Ordinis S. Lazari repetuntur à temporibus S. Baſilii Magni, Cæſarienſis Epiſcopi, quem Gregorius Nazianzenus tradit hoc titulo Noſocomium excitaſſe. Atque ejus antiquitatis pariter fidem facere ajunt, tot ptochotrophia, noſocomia, ſeu hoſpitalia, ut vulgò loquuntur, Sancti Lazari nomine per orbem Chriſtianum ſparſa. Sed prima inſtitutio per Barbarorum incurſiones, atque injuria temporum collapſa cum eſſet, ea ipſa velut renata eſt felici illo ævo, quo Chriſtiani Europæ Principes Jeroſolymorum urbem, cæteraque Terræ Sanctæ loca, barbaris eripuerunt. Itaque ut Templarii, Hoſpitalarii, & Teutonici, ſic & Lazarini Equites illo ſæculo, homi- H nes Chriſtianos ex Europa adventantes, non modò hoſpitiis exceperunt, ſed & ſtrenuè Saracenis aliiſque barbaris arma intulerunt. Quo factum, ut Balduinus Secundus, Fulco, Amalricus, Balduin. III. & IV. Reges Jeroſolymitani, itemque Theodora & Meliſindis Reginæ, aliique Principes ipſum Ordinis Magiſtrum, & domicilia in Syria eidem dicata, ac propria, non paucis beneficiis affecerint; quorum teſtes tabellæ publicæ etiamnùm Boniaci, vulgò Boignii, in diœceſi Aurelianenſi in Gallia aſſervantur. Quem quidem locum equitibus ipſis Lazarinis Ludovicus Galliæ Rex aſſignavit, diplomate Anno CIƆ. CLIV. dato, & Hugonis Cancellarii manu ſignato, Matthæo Montmorenciaco Galliæ Coneſtabili præſente. Pulſis demum per Saracenos è Syria Chriſtianis, Boniaci domicilium Magiſtri Ordinis Lazarini eſt conſtitutum, ibique comitia, ſeu conventus, à Sodalibus quotannis haberi ſolent, Commendatoribus, ut vocant, ex Italia, Sicilia, Sabaudia, Anglia, Scotia, Hungaria, aliiſque provinciis eodem confluentibus. Id quidem ad annum uſq; ſuperioris ſæculi octavum, & quinquageſimum obtinuiſſe conſtat, quo anno Boniaci comitiis interfuere



A fuere Commendatores S. Eligii Londinenſis, Bandarræ in Hungaria, Agreſolii in Sabaudia, & alii complures, à Joanne Leuyo Magiſtro Ordinis evocati. Ut mirum nemini videri debeat Philippum Auguſtum, S. Ludovicum, Philippum Pulchrum, Philippum Longum, Joannem, Carolum Septimum, Ludovicum XI. Carolum Octavum, Ludovicum XII. Franciſcum Primum; Henricum Secundum, Henricum Tertium Galliæ Reges; Henricum item Angliæ Regem, Aquitaniæ Normaniæque Ducem, Theobaldum Comitem Bleſenſem, alioſque Galliæ Principes multis ſodalitium Lazarinum vectigalibus annuis, ac privilegiis honoraſſe, ut fusè *Petrus Belloyus Conſiliarius Toloſanus in ſuo de Equeſtribus Ordinibus libello* commemorat. Idem præſtitit Fridericus Secundus Imp. & Siciliæ Rex, qui in ea ipſa Inſula, itemque in Calabria, Apulia, Campania, aliiſque Italiæ locis, ampliſſima iiſdem prædia attribuit. Quas donationes poſt Alexander Quartus, Nicolaus Tertius, Clemens IV. Joannes XXII. Gregorius Decimus, aliique Pontifices Romani ſuis diplomatibus ſtabiliverunt. Solent autem Lazarini milites Crucem viridem pro Ordinis teſſera præferre, & S. Auguſtini regulam profiteri; quæ omnia Gre- B gorius Nonus diplomate edito probavit. Temporum porrò decurſu, cum inſtituti hujus dignitas jaceret, Equites Rhodii ab Innocentio Octavo P. M. an CIƆ. CCCC. XC. impetrarunt, ut cum Rhodio, ſeu Joannitico confunderetur: Sicque paulatim Sodalitii Lazarini memoria, tum apud Gallos, tum apud Italos eſt obſcurata. At Pius Quartus Pontifex id ipſum an. CIƆ. IƆ. LXV. excitavit; ampliſſimiſque privilegiis, honoribus, immunitatibus, ad inſtar aliarum militiarum, donavit, Joannoto Caſtellionæo, viro nobili, Mediolanenſi, Ordinis magiſtro creato, & diplomate ea de re IV. Non. Majas promulgato. Quod diploma Pius Quintus ſucceſſor, altero Pontificatus ſui anno, conſtitutione Septimo Kal. Febr. altera Tertio. Idus Sextiles, partim revocavit, partim moderatus eſt. Cumque Vercellis anno ejuſdem ſæculi LXXII. Caſtellionæus vita diſceſſiſſet, Gregorius Decimus tertius, quò majorem huic militiæ dignitatem conciliaret, ejus principatum, ſeu magiſterium in Emmanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem, atque illius ſucceſſores, anno proximè inſequente contulit. Philibertus autem conventu Equitum Nicæam indicto, eos ſacramento ſolemni, tamquam Magnus, ut vocant, Magiſter, C in fidem adegit, & novas Ordini decorando atque amplificando leges, ac ritus, ejuſdem Pontificis auctoritate confirmatos, condidit, conjunctis atque in unum confuſis S. Mauritii, & Sancti Lazari Ordinibus. Idem duo prætereà domicilia, ſive hoſpitia, unum Nicææ, alterum Auguſtæ Taurinorum excipiendis equitibus à fundamentis ſuo ære excitavit, ſtatuitque, ut in poſterum militia S. Mauritii, & S. Lazari nuncuparetur, Equiteſque crucem viridem limbo candido concluſam, in cujus medio altera D. Mauritii ſuperpoſita eſſet, in veſtibus gererent. *Paulus Maurigius* tradit, Ciſtercienſium Regulam Benedictinam iiſdem Equitibus à Gregorio Decimotertio fuiſſe præſcriptam. *Vide & Iac. Aug. Thuanum l. hiſtor.* 38.

## ORDO EQUITUM S. MAURITII.

Ad S. Mauritii Equites quod attinet, præferunt ii etiamnùm crucem albam, florigeram Gallis dictam, & à S. Martyre in bello Chriſtianis pro teſſera obtendi ſolitam. Fuit is Mauritius Thebææ Legionis Dux, & Anteſignanus, apud Agaunum, in confinibus Helvetiorum atque Allobrogum (locus hodiè S. Mauritii nomen retinet, ſpectatque ad Cantonum, D ut vocant, ſive Helvetiorum ditionem) pro Chriſto cum ſuis à Maximiano Imperatore cæſus. Hunc ut Divum tutelarem, ac præſidem, Allobroges venerantur, & ſunt, qui Sabaudiæ Ducum ſtemma ab eo deducere conantur: hoc conſtat, Sancti Mauritii gladium, & annulum à Ducibus iſtis magno cum honore adſervari, atque ut pignus imperii, cum inaugurantur, iiſdem ſolemni ritu tradi.

Eremiticum porrò Ordinem S. Mauritii ſub regula S. Auguſtini, ab Amadeo Primo Sabaudiæ Duce inſtitutum fuiſſe, ſcribit *P. Matthæus*, *& P. Belloyus*, noſtræ ætatis ſcriptores. Vetuſtiores rerum Sabaudicarum annales tradunt, Amadeum (qui poſteà ad Pontificatum vocatus Felicis V. nomen induit) relictis omnibus, Ripalliam ad lacum Lemanum ſe contuliſſe, atque ibidem, primo lapide à Tonone oppido, cum viris nobilibus ſive Equitibus decem eremiticum vitæ genus amplexum eſſe, in Monaſterio D. Mauritii memoriæ atque honori à majoribus ipſius dedicato, cinerea veſte oblonga adſumpta, cingulo aureo, atque cinerei coloris chlamyde, cui crux aurea foret inſuta; traditque *Franciſcus Modius in Pandectis triumphalibus*, Eremitas Ripalliæ (quos milites S. Mauritii vocant) Felicis Papæ ſolemniis inauguralibus ann. 1440. interfuiſſe, qua- E liſque habitus, & religio illius anteà fuiſſet, veſtibus ſuis præmonſtraſſe.

## ORDO EQUITUM S. MARIÆ DE MONTE CARMELO ET S. LAZARI in Gallia.

Dictum hactenùs, quorum opera apud Italos & Sabaudos inſtitutum Lazarinum in uſum ſit revocatum; reſtat, ut videamus, quibus ea gloria apud Gallos obtigerit. Dixi ſupra, Equites Rhodios, ſeu Joannitas ab Innocentio Octavo impetraſſe, ut Lazarinum ſodalitium ipſis adjungeretur. Quo quidem factum eſt, ut Joannitæ Ordinis illius principatum, ac præfecturam penès ſe retinuerint uſque ad Æmarum Caſtrum, virum natalibus, multiſque virtutibus clariſſimum. Is quamquam Melitenſis eques, militiam Lazarinorum, cujus princeps ac magiſter erat, in Gallia inſtaurare primus ſeriò noſtra memoria in animum induxit, & bona patrimonialia primis poſſeſſoribus reſtituere conatus eſt. Quo laudabili in opere cum defeciſſet, Philibertus Nereſtanus, vir modeſtia ſimul, F & fortitudine præſtans (quæ duo in homine militari raro conjuncta reperias) demortui locum ac magiſterium excepit; profeſſione tamen, aut vitæ genere Melitenſibus non obſtrictus. Itaque Romam profectus, à Paulo V. obtinuit, ut Lazarini Equites Galli in poſterum Equites S. Mariæ de Monte Carmelo, & S. Lazari nuncuparentur, & violacei coloris crucem Virginis Matris effigie inſignem, ex collo pendentem, itemque chlamydi affixam, exemplo Melitenſium præferrent. Uſus eſt idem Romæ conſilio & opera R. P. Petri à Matre Dei Carmelitæ diſcalceati, qui Paulo Pontifici à ſacris tunc erat concionibus, eidemque ob ſingularem morum integritatem, vitæque ſanctitatem, longè gratiſſimus, quo nomine & à Baronio in Annalibus eximiè commendatur. Faxit autem Deus, ut ſicut Carmelitarum diſcalceatorum ſocietas, magno Eccleſiæ bono per univerſum orbem mirificè effloreſcit, ſic & Carmelitanorum Equitum collegium paulatim majora, Reipubl. Chriſtianæ commodo, ſumat incrementa. Cæterùm ann. CIƆ. IƆ. IX. Nereſtanus Pariſiis in Suburbano S. Lazari monaſterio, quod eſt Canonicorum, ut vocant, Regularium Auguſtinianorum, ſolemni ritu Equites aliquot creavit, dictaque G teſſera inſignivit, adhibitis iiſdem ferè cæremoniis, quibus Melitenſes inaugurantur: hoc tamen diſcrimine, quòd Carmelitani, ut nec Mauritiani in Sabaudia equites, à nuptiis non arceantur. Ex his itaque patet, Lazarino Ordine velut in duo Sodalitia, Mauritianum & Carmelitanum, partito, ex his alterum Sabaudis atque Italis, alterum Gallis velut proprium hodiè cenſeri.

## ORDO EQUESTRIS CANIS ET GALLI GALLINACEI APUD FRANCOS

Monmorenciadum gentis ſtemma, quo Lisbio, à Lybiæ Regibus oriundo, magno Areopagitæ commartyri adparentat, origine antiquiſſimum, Francis & Belgis perilluſtre, ſummum Chriſtiani nominis columen vel ab incunabulis regni Gallici ſemper extitiſſe conſtat: primumque eorum parentem Proto-Chriſtiani, & Archi-Baronis nomen (quòd moræ impatiens, & zelo Chriſtaniſmi incenſus, eidem Lavacro, quo Rex Clodoveus primus inter Gallo-Francos ſacro baptiſmate ablutus eſt, ſe immerſerit) commeruiſſe, tradit *Robertus Cænalis*. Nec his contentus, auctor & ipſe fuit primus, ut Aureliis in media Gallia prima ſacra Comitia celebrarentur. Unde H Montmorenciacos primos Chriſticolas, & Franciæ Barones veteri elogio nuncupari, ejuſque nominis teſſeram præliis meritò inclamari, in hunc uſque diem obtinuit. Fidei inſuper memorabile exemplum in Chriſtianam rempublicam exſtare volunt, illuſtre Ordinis Equeſtris collegium, Cane nimirùm notiſſimo fidelitatis ſymbolo inſignitum, & religioni majorum propagandæ, in hac familia fundatum, nullo certo, quod equidem ſciam, hactenùs auctore, qui principatum, & Magiſterium, ut loquuntur, ei planè attribuat, & ſi non vana ratione coryphæum egregii hujus inſtituti fuiſſe, ex Canis inſigniis, quæ in Caſſide ſtirps illa pro criſta geſtare ſolet, augurari liceat. Cujus rei fidem augere videtur *Philippus Moræus in tabula ſua inſigniorum Franciæ*, vulgari ſermone conſcripta: Ubi inter alia gentis hujus decora prodit, Buchardum Montmorenciacum ad aulam Philippi Primi, multis comitantibus Equitibus, veniſſe, qui omnes, ut & ipſe Buchardus, baltheum ſeu torquem equeſtrem capitibus cervorum diſtinctam, caniſque effigie ex ima parte pendente exornatam, geſtarent. Id exemplo multorum Principum, quos Canis inſigniis delectatos fuiſſe,